

DE SERMONE MINUCIANO.



PROGRAMMA

GYMNASII AUGUSTANI AD ST. STEPHANI

MDCCCLXXXIII

SCRIPSIT

DR. P. BERNARDUS SEILLER, O. S. B.



AUGUSTAE VINDELICORUM.

TYPIS PH. J. PFEIFFERI.

MDCCCLXXXIII.

gau
5 (1893)



Praefatio.

Minucii Felicis Octavium studia hominum doctorum et philologorum et theologorum vel proprio sermonis colore vel miro quodam argumento nuperrime praecipue in se convertisse satis constat.

Quaestione enim mota, qua ratione dialogus Minucii Felicis et apologeticum Tertulliani inter se continerentur, multi deinceps homines docti exstiterunt, qui hanc quaestionem summo studio persequerentur: Ebertus, Hartelius, Schwenkius, Wilhelmus. Postquam porro rationes inter Octavium Ciceronis-que librum „de natura deorum“ intercedentes explanavit Behrius, nuperrime exstiterunt duo homines docti, qui nonnullos locos criticos Minucii vel emendandos vel explicandos sibi proposuerant, Kronenbergius in dissertatione „Minuciana“ et Synnerbergius in observationibus criticis in Octavium.

At quamvis sint multi de Minucio libelli, nemo adhuc de sermone Minuciano ita scripsit, ut plenam et perfectam, qua omnes sermonis partes tractarentur, institueret inquisitionem. Quod mihi praestandum ratus hoc opusculum composui. Sed quoniam „Octavius“ valde corruptus ad nos pervenit, non poteram non in sermone tractando studia critica exercere. Itaque cum ipsis sermonis proprietatibus illos locos critice inquisivi, quorum vel emendatio vel explicatio illis ipsis sermonis proprietatibus continetur, quippe cum multos locos afferre exempla mihi non licuisset, nisi prius illos ab auctore ita scriptos demonstrassem. Ceterum nihil magis assequendum mihi proposui, quam ut scripturam traditam vel recte exponerem vel depravatam emendarem. Quod si mihi contigerit,

plures locos obscuros enucleare, his certis argumentis multo plus profuisse mihi videor, quam vagis disputationibus. In locis vero criticis emendandis eandem quam Halmius rationem secutus sum, ita ut verba in codice exarata nisi gravissimis causis urgentibus non commutarem. Atque vero illa Halmiana recensio integerrimum praebens codicis textum omnium maxime nobis commendatur. Neque minus integram commendabilemque recensionem Dombarti deprehendi, qui, quam scite iudicaverit quamque accurate res quaesierit, omnibus fere locis emendatis explicatisque declarat. Cornelissenus autem in textu restituendo parum temperantia usus multos locos magis corrigere quam emendare videtur. Nulla fere existimatione dignam iudico recensionem Baehrensii, qui verba Minucii non modo corrigat, sed quodammodo corrumpat, ut tantae in emendando temeritatis haud multa exstent exempla. Praefatio vero, quam scripsit is vir in Octavium, multa habet, quae magno acumine excogitata et rationem explanent dialogi Minuciani et plures illustrent locos obscuros.

His igitur editionibus adhibitis inquisitionem sermonis emendationemque scripturae traditae institui. Quae Kronenbergius et Symnerbergius emendarunt, vel potius emendare sibi videbantur, suo loco recensebo. Praeter hos libros haec adhibui adjumenta: Behrii et Wilhelmi dissertationes, in quantum proposito meo convenirent; elementorum vero poeticorum miram quandam materiam Ouzelii editio annotationibus abundans suppeditabat:

Draeger „lat. hist. Syntax“,

Roensch „Sprachidiom der Itala“,

Naegelsbach „lat. Stilistik“,

Woelfflin „Minucius Felix“ Archiv für lat. Lexikographie VII. Heft 4,

Sittl „Jahresbericht über Spaetlatein“ (1879—1884) und (1884—1890).

Priusquam autem ad propositum ipsum aggrediar, quid ipse de summa quaestione relationum inter M. Felicem et Tertullianum intercedentium sentiam, ita explicabo, ut via, quam homines docti ad hanc quaestionem dirimendam ingressi sunt, explanata afferam et quae illi potissimum eruerunt et quae ipse indagavi.

In illa igitur quaestione, uter prior scripserit Minucius Felix Octavium an Tertullianus apologeticum, postquam Ebertus pro certo posuisse sibi visus est Tertulliano Minucianum dialogum iam ante oculos fuisse, omnesque fere homines docti huic sententiae se applicaverunt, Hartelius non minore acumine ostendere sibi visus est, contrarium esse verum. Quo factum est, ut homines docti alii Hartelio, alii Eberto assentirentur. Magis accendebatur eius rei studium, cum Schwenkius et primus et suo iure monstrasset, uter prior esset, non posse intelligi ex locis congruentibus inter se ipsos comparatis, quam viam ingressi essent Ebertus et Hartelius; nec vero alienum esse, illos locos congruentes ad tertium quendam atque antiquiorem fontem referre; cui fonti si essent comparati et Minucius et Tertullianus, tunc multo certius posse dici, uter prius ac magis suo ingenio scripsisset. Hac via Schwenkius idem est assecutus, quod Ebertus, Tertulliano Minucii Octavium ante oculos fuisse. Tunc omnes, quasi nodus esset exsolutus, Minucium priorem esse iudicabant. Sed eandem rem Reiferscheidio auctore denuo excutiendam suscepit Wilhelmus. Is cum Schwenkio tertium fontem approbat, sed in tempore statuendo fere dicit contrarium: nil obstare, quin Minucium post Tertullianum scripsisse arbitremur.

Sic tota res rursus est confusa. Equidem de Wilhelmi inventis sequar Curtium, qui, ut probum eius sudorem laudavit, ita nihil eum censuit attulisse ad rem decidendam. Sed cum Wilhelmi quaestio omnium sit recentissima, propius ad eam accedamus necesse est.

Atque sic existimo de via ac ratione Wilhelmi, eum, qui nil aliud fecerit, quam ut locis congruentibus inter se collatis maxime iis, ubi compluria nomina propria sunt collocata, hic nomen aliquod omissum esse docuerit, illic additam, non posse certum facere, utrum Minucius an Tertullianus prior rem aut cogitatione invenerit aut litteris expresserit. Sed ut, quae modo dixi documentis confirmem rationemque Wilhelmi magis patefaciam, duos locos afferam, quibus ille contra Ebertum nititur Tertulliano Octavium non fuisse propositum, sed utrumque ex alio fonte hausisse neque quidquam obstare, quin Minucium post Tertullianum ponamus. Quam inepte de hac re ab illo sit disputatum, nulla re clarius apparebit, quam si

locos ipsos quidque Wilhelmus de iis iudicaverit, in medio posuero. Ipsa enim per se concidit, ut ita dicum, talis verum investigandi ratio.

Minucius.

„Et tamen ante eos (Romanos) Deo dispensante diu regna tenuerunt Assyrii, Persae, Graeci etiam et Aegyptii, cum Pontifices et Arvales et Salios et Vestales et Augures non haberent . . .

Tertullianus.

Quid erratis? prior est quibusdam deis suis silvestris Roma, ante regnavit, quam tantum ambitum Capitolii extrueret. Regnaverunt et Babylonii ante Pontifices et Medi ante Quindecemviros, et Aegyptii ante Salios et Assyrii ante Lupercos, et Amazones ante Virgines Vestales . . .

De his igitur locis Wilhelmus disserit hunc in modum:

„Octavium Christianum memorem horum Caecilii verborum (6, 2): „dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum“ . . . castitate virginum Vestalium inlusa (25, 10) pontifices, Arvales, Salios, Vestales, augures appellavisse Ebertus ut scite monuit, ita quam imprudenter negaverit Tertulliano fuisse, cur sacerdotia commemoraret, docuit Hartelius. Cur, quaeso, Tertullianus sacerdotes silentio praeteriret, qui toto capite 25 de Romanorum religione et cultu deorum verba fecerit? Accedit, quod paulo ante Capitolium nominavit et Numam Pompilium, quem Cicero pontifices . . . Salios virginesque Vestales constituisse testis est.“

Ex iis igitur, quae supra scripta sunt, colligitur Ebertum ex ea re, quod non fuerit, cur Tertullianus sacerdotia commemoraret, hoc ultra conclusisse aliunde ea maxime a Minucio Tertullianum sumpsisse. Hunc vero habuisse, cur enumeraret, quod Caecilii verbis esset usus „nominibus sacerdotum.“ Sed tantulis argumentis concludere Minucium ante Tertullianum scripsisse, nihil aliud est nisi tenui filo magna pondera suspendere. Neque vero minus „imprudenter“ Wilhelmus se posse demonstrare putat fuisse, quod Tertullianus ipse sacerdotia commemoraret. Quam enim ex argumentis modo dictis videmus

fuisse Tertulliano necessitatem, ut sacerdotia enumeraret? Equidem nihil aliud nisi hoc unum inde colligi posse censeo, duos illos locos inter se aliquo modo cohaerere, sed non potest inde cognosci, num ob eam causam congruant, quod ex tertio quodam fonte sive ab ipso sive per rivulum aliquem affluerint; minime vero, uter locus prius ac magis proprio ingenio scriptoris sit compositus. Atque ex quo loco Ebertus concludit prius scripsisse Minucium, ex eodem Wilhelmus Tertullianum; quamque inepte hoc fecerit, testantur haec:

„Iam vero aliud praesto est argumentum, quo comprobetur Tertullianum e Minucio non pendere. Octavius enim ad Caecilii verba respiciens (62 castis virginibus) virginum Vestalium pudicitiam cavillatur (25, 10), qua cavillatione caret Tertulliani liber. Videtur igitur a Minucio satis actum esse de Vestalibus. Nihilominus paulo post una cum reliquis sacerdotiis eadem iterum commemorantur. Cur, quaeso? Putes Minucium Tertulliani vestigiis ingressum esse.“

Minucius igitur, quod in sacerdotiis enumerandis Vestales modo nominatos, iterum nominat, totum locum ex apologetico Tertulliani exscripsit! Sane gravissimum argumentum! Quasi vero Minucius, qui rhetorice et non sine aliquo afflatu divino loqueretur, verba sua ubique anxie ponderasset, ut in enumerationibus ne nimis multa aut eadem afferret! Hac igitur argumentatione nihil probatur. Id mirum est, quod Tertullianus commemorat „Amazones“, quarum apud veteres scriptores nulla fit memoria. Verisimile est, „Amazones“ ex tertio fonte communi in Tertulliani apologeticum influxisse. Ceterum nihil certi hac in re statui potest, unde reprobo Wilhelmi rationem argumentandi.

Postquam igitur vias, quas homines docti ad hanc difficilem quaestionem dirimendam ingressi sunt, explicui et novissimam Wilhelmi disputationem recensui, meum est, explanare, quid inter tam diversa hominum doctorum iudicia ipse sentiam. Cum autem ab huius libelli et modo et ratione abhorreat singulorum disputationes penitus excutere, satis habebo, quae ipse inveni proponere, quibus quod censuit Ebertus, in dubio non relinquatur Minucium ante Tertullianum scripsisse.

Proficiscor igitur in hac mea argumentatione a certo tempore in ipso Octavio definito, quod aliis argumentis ex rebus ipsis advocatis confirmabo.

Ac Baehrensium quidem rectissime mihi videtur docuisse locum 7, 4 „et ut Parthos signa repetamus, dirarum imprecationes Crassus et meruit et inrisit“ certum tempus indicare bellumque Parthicum annis 162 et 163 maxime spectari. Nonne enim haec dicit Caecilius, Crassi culpa factum esse, ut etiam nunc signa Romanis repetenda sint a Parthis? Hi quidem post Crassum saepe sunt victi, sed nunquam ita ut pacati esse viderentur. Semper enim lacescebant Romanos. At enim Parthos non solum victos esse, sed etiam signa reddidisse testatur Horatius. Quae cum ita sint, retineo „repetamus“ codice traditum nec sequor Halmium vel Dombartum „repeteremus“ scribentes. Namque „signa repetamus“ idem esse existimo ac si esset dictum „ulciscamur“. Plurimis enim locis Minucius elocutionem colore poetico tinctam prae se fert.

Quod Octavius scriptus est in forma dialogi, non est, cur in hoc tempore statuendo haesitemus. Dialogum enim in ea, quae nunc est, forma habitum esse, verisimile non est. Habitum esse teneo, sed dictione multo breviori. Inde Minucium ad religionem christianam defendendam profectum multa puto addidisse, quae in vero dialogo non erant, velut respicientem bellum tunc cum Parthis exortum hoc injunxisse „et ut Parthos signa repetamus;“ subsequitur enim „omitto vetera quae multa sunt.“ Hac igitur re adductus dialogum anno 162—163 scriptum esse affirmo. Hoc tempus aliis quoque causis tuear ac defendam adversus eos, qui adhuc id velint addubitare.

Sunt enim in Octavio in iis, quae de daemonibus dicuntur capitibus, multa gnosticorum elementa ut (cap. 26 et 27): „a caelesti vigore terrenis labibus et capiditatibus degravati“ 27, 2 „sic coelo deorsum gravant et a deo vero ad materias avocant.“ Videmus ergo illam de duobus principiis, Deo et mala materia, doctrinam nondum esse superatam ac victam, cum Tertullianus sincerissimam exhibuerit in hoc dogmate doctrinam ecclesiasticam. Itaque Minucius, si post Tertullianum tam gnostice scripsisset, patribus ecclesiae haereticus esset visus, non summa laude dignus. Quod igitur omnes ecclesiae

patres eum collaudabant, cfr. Lactant. inst. V, 1 „Huius liber, cui Octavius titulus est, declarat, quam idoneus veritatis adsertor esse potuisset, si totum ad id studium se contulisset,“ necesse est Minucium haec eo tempore scripsisse, quo doctrina ecclesiastica nondum erat perspicue explicata et inepta gnosticorum disciplina a vera christianorum gnosi nondum segregata. Hoc quominus in annos 162—163 cadere putemus, nihil obstat. Anno enim 140 sub Valentino et 150 sub Marcione Graecorum et Syrorum gnostica disciplina Romam translata est. Valde igitur verisimile est illam disciplinam anno 162 usque eo diffusam fuisse, ut multa, quae essent perversa, in veram fidem christianam influerent, et ut vel maxime eo tempore illis perversitatibus Minucii animus captus teneri posset. Inferius autem tempus velut annum 190 ob eam ipsam causam repudiabimus, quod interea his erroribus ecclesia certe restitit eosque damnavit, quippe cum in apologetico Tertulliani hoc dogma christianum de daemoniis iam sincerissimum exhibitum videamus. — At dixerit quispiam Minucium cognovisse quidem doctrinam ecclesiasticam, sed ei ex re fuisse non ut jam definitam eam accipere, sed ut nondum explicatam perscrutari ac altius exstruere. Hoc autem minime verum. Neque enim christianis ita sequi licebat philosophos a christiana doctrina alienos, ut se opponerent ecclesiae falsasque haereticorum sententias admitterent. Ex his omnibus id cogitur, ut, cum Minucius dialogum scribebat, doctrina ecclesiastica nondum fuerit satis expedita et gnosticis sententiis exonerata. Unde anni 162 et 163 non solum ex ratione rerum publicarum, sed etiam religiosarum valde probabiles esse videntur. Restat unum, neglectum quidem a prioribus, sed gravissimum ad cognoscendam rationem apologiae Minucianae multasque tenebras repellendas, ab hominibus doctis adhuc magis evitatas quam discussas.

Anno enim 162, cum M. Aurelius principatum suscepisset, christianis post Antoniniam clementiam tantum non necessitas erat, ut recentis quoque imperatoris animum sibi conciliarent. Quem ad finem nonne scripta esset Minucii apologia, praesertim cum Aurelius esset litteratissimus philosophiaeque studiosissimus, iterum atque iterum deliberavi pluribusque in Octavio ipso argumentis inventis affirmandum iudicavi. Eodem

enim tempore multae aliae apologiae imperatori traduntur velut ab episcopo Melitone (cfr. Eusebium), a Iustino martyre apol. II., ut initio regni recentis christiani magnam imperatorem sibi conciliandi spem habuisse videantur. Marcum enim Aurelium, ubi regnum adeptus est, in animum induxisse, antiquam religionem publicam restituere et reformare satis constat. Verisimile igitur est, Minucium ob id ipsum huius religionis fucum et vanitatem uberius demonstrasse nec alienum est putare huc spectare verba Minucii c. 38, 6: „cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur“ (forsitan melius Heumannus „restauretur“ pro „reservetur“). Constat imperatores in tractandis christianis amicorum consilia esse secutos; sic Marco Aurelio affuisse accepimus Crescentem cynicum, qui imperatorem ad internecivum christianorum odium provocaret. Hunc dico peti Minucii apologia, qui philosophos ipsorum telis aggressus doctrinam christianam argumentis ac rationibus firmare audebat. Quod eo magis verisimile est, cum Iustinus martyr eundem Crescentem apolog. II. peteret eiusque insidiis captus anno 166 palmam martyrii accepisset, apolog. II. „*καὶ γὰρ προσδοκῶ ἐπιβουλεῦσθῆναι καὶν ξύλῳ ἐντιναγῆναι ἢ καὶν ὑπὸ Κρίσκεντος τοῦ φιλοσόφου ἢ καὶ φιλοκόμπου.*“ Eundem porro Crescentem existimo significari c. 38, 5 „philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulatores novimus in tyrannos et semper adversus sua vitia facundos, nos non habitu sapientiam, sed mente praeferimus, non eloquimur magna, sed vivimus“ (de emendatione huius loci cfr. infra).*)

Haec si tenemus, quam praeclare et e rerum condicione dicta sunt! Minucius enim postquam veram philosophiam laudibus extulit et christianos veros philosophas esse demonstravit**), pravorum philosophorum adoritur supercilia spinas-

*) De iisdem philosophis scribit Eusebius IV, 16, 5: *λίχνους τοὺς φιλοσόφους καὶ ἀπατεῶνας ἐξήλεγχεν* (scil. Iustinus).

**) Item Melito episcopus in supplicatione ad Marcum Aurelium dogmata christiana philosophiae verae contraria non esse defendit laudatque imperatorem tamquam custodem patriae philosophiae, cfr. Euseb. IV, 26, 25: „*φυλάσσων τῆς βασιλείας τὴν σύντροφον καὶ συναρξαμένην Ἀγούστω φιλοσοφίαν.*“

que. Sic nonne optime cadit in philosophos, quos habuit imperator comites: „corruptores et adultores in tyrannos?“ nonne bellissime sedet in Crescente cynico hoc: „nos non habitu sapientiam, sed mente praeferimus?“ namque propter sordidum habitum volebant cynici pro sapientibus haberi. Nec non supercilia = „finsterer Stolz“ quadrat praecipue in philosophum cynicum. Atque vero pulcherrimus rerum concentus! „In tyrannos“ scribit Minucius forsitan propter societatem regni; M. Aurelius enim una cum fratre L. Vero principatum tenebat. Nec mireris, si Minucius imperatores tyrannos appellat. Nam primum quidem hoc loco non opprobiose affert hoc vocabulum, tum licebat de imperatoribus liberius dicere. Script. hist. Aug.: „ita civiliter se ambo egerunt, ut lenitatem Pii nemo desideraret, cum eos Marullus, sui temporis mimograus, cavillando impune perstringeret.“ Ita libere potuit condemnare regni societatem Minucius cap. 18, 6 „quando unquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore desiit?“ L. Verus, qui omni libidini deditus esset et eo ipso tempore rem male gereret contra Parthos, utique probissimo cuique viro Romano summo odio erat, ut mirum non esset Romanos regni societatem moleste tulisse. — Sed alterum habeo locum, ex quo luculentissime apparet, Minucium philosophos, qui quidem essent consilarii imperatoris, hoc libello petivisse; cfr. 37, 7 „in hoc ad eo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditae mentes licentia potestatis libere nundinentur“. (De emendat. huius loci cfr. infra) „perditas mentes“ perditos philosophos interpretandos esse, quis non intelligit? Haec verba quam apta ad rerum condicionem!

Nec non ea, quae disserit Minucius Cap. XIV, 6 in philosophos fallaciloquos dicta esse videntur: „igitur nobis providendum est, ne odio itidem sermonum omnium laboremus; ita ut in execrationem et odium hominum plerique simpliciores efferantur, nam incaute creduli circumveniuntur ab iis quos bonos putaverunt, mox errore consimili iam suspectis omnibus ut improbos metuunt etiam quos optimos sentire potuerunt.“ Haec verba prorsus convenire in Marcum Aurelium eiusque fallaces consiliarios, Crescentem et Proteum, apparet. Hos quidem imperatoris humanissimi odium in christianos falsis

accusationibus conflavisse eiusque suspicionem movisse satis constat. (cfr. Euseb. Hist. eccl. c. IV, 26.)

Eum quoque locum afferam, quo appareat, Minucium philosophos atheos potissimum petere 8, 2: „nunquam tamen in hac impietatis disciplina simulatae philosophiae nomine atque auctoritate pollebant, cum Abderiten Protagoram Athenienses etsi consulte potius quam profane de divinitate disputantem et expulerint suis finibus et in contione eius scripta deusserint . . .“ Et magis est mirandum, quod haec verba facit Caecilius, quippe qui philosophiam contra credulitatem christianorum praecipue defendendam sibi proposuerit. His omnibus diligenter perpensis dialogum ea, quam supra diximus, mente scriptum esse vel maxime probabile est.

Sed et alia afferre possum. De quibus M. Aurelius indagationes et accusationes fieri iussit christianorum, de iis defendet eos Minucius: de impietate, conviviis Thyesteis, incestis. Accedit, quod Caecilius, qui dialogo interest, Frontonis popularis est et per eum nimirum in Caesaris amicos assumptus. Quantum vero firmitatis accrescit nostrae opinioni, si idem Caecilius et modo ad christiana sacra conversus et Caesaris est amicus! Quanto certius Minucius prosperum poterat sperare eventum! Frontonem enim mirum quantum valuisse constat apud M. Aurelium, cui magister exstitisset. Sic valde verisimile est Minucium dialogum initio regni M. Aurelii ad imperatoris gratiam conciliandam scripsisse, maxime annis 162—163; nam ab anno 164 bellum Parthicum prospero eventu gerebatur ab Aufidio Cassio, ut in posterius tempus „signa repetamus“ non iam quadret.

Hoc autem certo tempore relicto, si alia quoque ratione libebit, cur Minucius prior fuerit Tertulliano, multa alia sunt, quae promamus argumenta. Universa enim doctrina christiana apud Tertullianum multo magis est explicata, ut hic iam inveniuntur hae notiones christianae: Trinitas, sacramentum, satisfactio. Tertullianus porro christianos defendit non contemnere majestatem principis, sed salutem illi a Deo optimo precari. Id certe non omisisset Minucius, si post Tertullianum scripsisset apologiam.

Atenim Cirtae inscriptio est inventa cum nomine M. Caecilii! Sed is Caecilius post Caracallam ponendus est neque

eum dialogo interfuisse necesse est. Baehrensius enim levi mutatione vel aptissimam scripturam obtinet I, 5 „quo Q. Caecilius“ pro „quod Caecilius“, ita ut Q. Caecilius pater M. Caecilii in inscriptione significati habendus sit et in annos 162—163 maxime quadret.

Postquam autem Minucium ante Tertullianum (Octavianum) scripsisse probasse mihi videor, quaeritur, num quae ratio intercedat Tertulliano cum Minucio sitque ille hunc in scribendo secutus. Rationem quidem intercedere sine ulla dubitatione affirmaverim. Temere enim ac fortuito utrumque in easdem sententias cecidisse, quis est, qui hoc credat? Uterque enim eadem fere dicit de natura Dei et de daemonibus multa-que alia sunt, quibus inter se cohaereant. Ut autem rationes quasdam intercedere firmum statutumque est, ita incertum est ac dubium, quales eae sint et quantae. Difficile enim est dictu, utrum Tertullianus Minucium propositum habuerit an ex tertio quodam fonte uterque communiter hauserit. Hac in re primum id tenendum est, Tertulliano Minucium non unum fuisse propositum. Est enim Tertullianus Minucio in multis rebus latior et in enumerationibus copiosior. Rursus, cum apud Minucium reperiantur, quae non sunt apud Tertullianum, cum in maioribus partibus (de Deo, de daemonibus) res sint consentaneae, non ordo rerum, cumque ne linguae quidem coloris sit similitudo (cfr. pars posterior), non minus fere certum est Tertullianum ne adhibuisse quidem Minucium, sed locos congruentos ad tertium quendam fontem rectissime revocari, unde utrique affluerint. Sane quidem Tertullianus Minucium noverit et sic aliqua memoriter assumpserit, sed multo maiorem partem ad tertium fontem refero.

Hic fons, utrum Graecus fuerit necne, magis conicias, quam probes. Graece scripsisse veteres christianismi defensores verisimile est auctoritatem veterum christianorum philosophorum secutos. Praeterea, si fons ille latine fuisset compositus, aliqua certe verba ab utroque essent assumpta, cuius rei nullum exstat exemplum. Immo Minucius usurpat circa decem vocabula ἄπαξ εἰρημμένα, quorum nullum apparet vestigium apud Tertullianum. Cfr. Woelffl. Minuc. Felix, Lexikog. pag. 483. Quod Sittl statuit (Jahresb. 1879—1884 S. 20) utrumque, pendere ex „insigni volumine“ Apollonii senatoris (cfr. Hie-

ronym. vir. illust. c. 42) ob id ipsum reprobandum est, quod Apollonius sub Commodo demum martyrii coronam accepit, dialogum autem iam annis 162—163 exaratum esse verisimile est. Omnes igitur de illo tertio fonte quaestiones, cum omnibus, quae ad rem pertineant, litteris et monumentis destituti simus, merae opiniones sunt et conjecturae. Athenagoram quidem non fuisse fontem, id certum est, cum eum anno centesimo septuagesimo septimo supplicationem imperatori tradidisse certum est.

Sic de ratione Minucii et Tertulliani satis mihi videor disputasse. Atque ea me attulisse existimo, quibus quo tempore dialogus sit litteris mandatus, accuratius dicatur (annis 162—163); Minucium ante Tertullianum scripsisse arguatur; quod consilium scriptoris fuerit, exponatur; qua condicione ac fortuna Minucius usus sit, clarius ostendatur.

Exordium.

De sermone M. Felicis accurate et copiose disputare difficilius est, quam primo aspectu esse videatur. Est enim venusta eius oratio et ita facilis, ut, si rem leviter perstrinxeris, eam bene latinam esse dixeris, interdum multis anaphoris, tortis chiasmis magnifice et rhetorice exornatam. Sed si quis propius accesserit, orationem inveniet contextam ex multis tamquam filis variisque coloribus plus minusve distinctam, ita tamen, ut totius orationis unus sit stilus. Praevalere videmus colorem Ciceronianum, verum tamen non modo poetico et rhetorico colore esse permixtum, sed vocabulis etiam ex sermone cotidiano*) assumptis argutis fortibusque a nimia subtilitate et jejunitate ad vigorem varietatem venustatem revocatum. Sic miram quandam delectationem affert Minucius animis legentium.

Hanc igitur Minucii orationem inquirendam et explicandam mihi proposui, quod nullo modo facilius me posse praestare existimavi, quam si contulissem eum cum Cicerone, nec non cum aequalibus eius atque ecclesiasticis scriptoribus. Cum Cicerone si eum componam, in quantum Ciceronem imitatus sit, ostendam. Deinde si comparabo cum Tertulliano et Apuleio aequalibus, quantum aequalium auctoritatem secutus sermoni cotidiano inservierit, disseram. Tum de ecclesiastico sermone si quaeram, Minucium, quamvis locis ex sacris libris assumptis verba evitet scripturae sacrae, tamen multa eorum admississe ex antiquissima librorum sacrorum translatione, quae vocatur Itala, probabo. Italiam enim multa habere, quae assumpsit Minucius, repudiavit Vulgata, satis apparebit ex altera huius libelli parte.

Sed ordine rerum sic disposito, ne quid eorum, quae memoratu sint digna, omittam, ita materiam distribuam, ut

*) Recte docere mihi videtur Sittl (Jahresb. 1884 — 1890) sermonem vulgarem, qui dicitur, in opinione tantum esse, cum nulla omnino eius extent monumenta. Itaque rectius adhibet significationem: „sermo cotidianus“ i. e. Umgangssprache der besseren Stände.

priore, qua Ciceronis comparisonem instituo, parte maxime perscruter coniunctionem verborum et structuram periodorum, quibus Cicero et Minucius praecipue inter se cohaereant, parte autem posteriore de aequalium et ecclesiastico sermone scripta in primis rationem habeam elementorum orationis i. e. substantivi, adiectivi, adverbii, verbi, praepositionis, pronominis et ostendam Minucium sermonem cotidianum admisisse quidem, sed, ut ita dicam, per posticum, cum aequales eius Tertullianus et Apuleius tamquam per apertas valvas eam infunderent suis libellis. Hoc in genere multum nobis proderit Itala multaque aperiet, quae erant adhuc clausa ob eamque rem varie emendata vel potius depravata.

Ac in priore quidem parte duo sunt, quae mihi praecipue proposui explicanda: Minucius, in quantum secutus sit Ciceronem, in quantum a Cicerone deflexerit? Quae maxime illustrabuntur considerata compositione verborum structuraque periodorum. Ex his enim facile cognoscitur Minucium ut Ciceronem imitari, ita ratione rhetorica obstrictum concinnitatem Ciceronianam exaggerare ampullisque turbare. Affectasse autem illum stilum Ciceronis, non inde solum apparet, quod proprietates Ciceronianas sibi adoptavit, sed etiam, quod totas periodos ex Ciceronis libris, in primis ex libro „de nat. deor.“ transcripsit.

En nonnulla exempla argutissima:

Totum capitulum XXI Octavii ad verbum fere ex Cicerone exscriptum est.

Min. I, 1 „Cogitanti mihi et cum animo meo Octavi boni et fidelissimi contubernalis memoriam recensenti“ . . .

Cic. de or. I, 1, 1 „Cogitanti mihi saepe numero et memoria vetera repetenti.“

Minuc. 5, 1 „ne non tam ex nostris disputationibus nata sententia, quam ex tuis sensibus prolata videatur.“

Cic. Parad. I, 1, 6 „Vereor, ne cui vestrum ex Socraticorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta haec videatur oratio.“

Exstant multa alia exempla, quibus Minucium cum Cicerone artissimo vinculo conexum esse cognoscas. In propositum meum satis erit haec attulisse.

Dispositio.

Pars prior.

Minucius Felix collatus Ciceroni ad coniunctionem verborum et coniunctionem structuramque periodorum.

A. Coniunctio verborum.

- I. Asyndeton, Anaphora, Chiasmus.
- II. Polysyndeton, coniunctiones copulativae, disiunctivae, correspondentes.

B. Compositio periodorum.

Coniunctiones adversativae, causales, conclusivae.

C. Membra structuraque periodorum.

- I. Subiectum, Obiectum, Praedicatum, Attributum.
- II. Coordinatio, Subordinatio.

Pars posterior.

Minucius Felix collatus aequalibus suis Apuleio et Ter-
tulliano et sermoni ecclesiastico ad elementa orationis:

- I. Substantivum.
- II. Adiectivum.
- III. Adverbium.
- IV. Comparatio.
- V. Verbum.
- VI. Pronomen.
- VII. Praepositio.

Additamentum.

Minuciani sermonis elementa poetica.



Pars prior.

A. Conjunctio verborum.

- I. Asyndeton, Anaphora, Chiasmus.
- II. Polysyndeton, coniunctiones copulativae, disjunctivae, correspondentes.

a) Asyndeton.

Asyndeton, quod latinae praecipue linguae proprium est, nondum satis est a grammaticis exploratum. Eius enim figurae in singulis linguae tamquam aetatibus exempla occurrunt varie formata. Minucius quidem libentissime utitur hac figura rhetorica ita tamen, ut omnibus fere locis tria membra asyndetice coniungat. Nec non Cicero habet asyndeta trium membrorum, sed non tanto studio amplectitur hanc figuram, quanto Minucius. Ille enim magis studet plura membra ita conserere, ut binae notiones contrariae coniungantur, cuius formae pauca exstant exempla apud Minucium, cui terna membra asyndetice composita instar legis sunt.

Et substantivorum quidem asyndeton a Minucio non admodum libenter adhibetur; quinquies fere hanc figuram usurpat.

24, 1 mures hirundines milui.

17, 3 mentem sensum oculos.

16, 5 omnes homines sine dilectu aetatis sexus dignitatis.

7, 5 „de deorum natalibus donis muneribus“.

9, 6 coeunt cum coniugibus liberis sororibus matribus.

Hoc quidem loco deflectit Minucius a certa tamquam lege trium membrorum; nec non in asyndeto adiectivo et verbali bis membra quaterna pro ternis ponit. Quibus locis, num re vera vel cur legem, ut ita dicam, trimembrem laeserit, infra disputabitur.

Adiectivorum porro asyndeton saepius adhibet Minucius semelque in figura Ciceroniana, ut plura paria notionum

contrariarum asyndetice conserantur. Cujus formae haec exstant exempla:

16, 5 illiteratos pauperes imperitos

10, 3 deus unicus solitarius destitutus

25, 2 confluxerant perditī facinorosi incesti sicarii proditores.

Hic ponuntur quinque membra ita tamen, ut tria priora sint adiectiva et sic lex trimembris hoc quoque loco perluceat.

Ciceroniana figura occurrit 33, 3 „modici multos, inermi armatos dum fugiunt insequentes“.

Loco 12, 7, qui habet quattuor membra, duo paria iisdem syllabis finita distingui possunt: „satis est, pro pedibus aspicere maxime indoctis impolitis rudibus agrestibus.“ Falso igitur conatur Baehrensius „rudibus“ tamquam adiectivum interpretationis excludere, cum sic figura rhetorica destruat.

cfr. ad hoc Cic. de fin. 2. 8, 25

„male prave nequiter turpiter.“

In universum quidem aestimanti hoc constat Minucianum asyndeton magis esse cumulativum, Ciceronianam magis enumerativum. Minucius enim exaggerat verba synonyma differtque hac re a Cicerone.

cfr. illiteratos imperitos

unicus solitarius destitutus

indoctis impolitis rudibus agrestibus.

Non nisi raro autem usurpat Minucius asyndeton adverbiale, ut non plura quam duo exempla inveniantur:

19, 2 „nonne apertius proximius verius ait“

33, 2 „caste innoxie religioseque.“

Ciceronis unum affert Draeger exemplum, de fin.: „male prave nequiter turpiter.“

Omnium denique maxime asyndetorum amplectitur Minucius verbale, in quo color rhetoricus praecipue apparet. Cuius figurae satis erit ea afferre exempla, quae vel forma commemoratione digna sint vel ob corruptelas ad veram lectionem investigandam studia grammaticorum excitaverint. Haec igitur sunt exempla argutissima:

22, 13 ecce funditur fabricatur sculpitur

ecce plumbatur construitur erigitur

ecce ornatur consecratur oratur.

Sane haud quidquam est exemplum, quo magis appareat

color rhetoricus. Tria membra anaphorice per „ecce“ conserta terna verba continent.

Alius commemoratione dignus locus est 17, 6, quo imperfect. coniunctiv. passiv. asyndetice ponitur: „ut crearentur fierent disponderentur.“

Maxime formarum verbalium asyndetice ponuntur hae: Part. Perf. Pass; 3. Pers. Praes. Pass; Infinit. Praes. Act. et Pass. c. 23, 11 declinat Minucius (in hoc quoque asyndeto verbali) a lege trimembri: „stipitis portio suspenditur caeditur dolatur runcinatur“ item 17, 4 „numen, quo omnis natura inspiretur moveatur alatur gubernetur.“

Baehrensius inducit „caeditur“ tamquam interpretationem vocabuli „dolatur“! at cur non in altero quoque loco legem illam Minucianam trimembrem restituere conatur? Nam hic quoque verbum „moveatur“ sine ullo colore vocabulum interpretatorium suspiceris verbi „inspiretur“. Attamen textum codicis illaesum velim; quamvis enim lex trium membrorum sic tollatur, tamen in alia re stilum rhetoricum expressum videmus, scilicet in syllabis, quibus vocabula finiuntur, similibus: „suspenditur caeditur **dolatur** runcinatur“ vocabula igitur per paria conserta videmus.

In altero porro exemplo chiasmi quoque, quam summo studio amplectitur Minucius, forma apparet:

inspiretur moveatur **alatur** gubernetur.

Utrumque igitur locum immutatum relinquam.

Cicero asyndeton verbale multo rarius adhibet quam Minucius, ut in hoc genere scribendi Minucium prorsus voluntate rationeque suae aetatis obstrictum deprehendas.

Asyndeti, quod appellatur a grammaticis „accelerativum“ nonnulla praebet exempla Cicero, multo plura rerum gestarum scriptores; Minucius paene nullum habet. In cuius asyndeta maxime quadrat significatio: „asyndeton cumulativum“. Ceterum hoc in genere vocabula etiamnunc incerta et fluctuantia; id certum est, asyndeton Minucianum summi momenti esse in toto genere totaque, ut ita dicam, historia asyndetorum.

b) Anaphora.

In genere asyndetorum etiam „anaphora“ ponenda est, qua in figura unum idemque vocabulum anaphorice i. e. saepius

singulis membris praeponitur. Cuius formae apud Minucium non pauca exstant exempla, sed multo plura occurrunt eius anaphorae, in qua non idem vocabulum, sed notiones consertae eodem ordine cumulantur. Atque omnibus fere locis in eo genere Minucius legem trimembrem observat ita tamen, ut bina membra posteriora chiastice coniungat. Ex multis exemplis haec tantum afferam:

23, 13 ecce funditur fabricatur sculpirur

ecce . . .

ecce . . .

24, 2 sic . . . sic . . . sic . . .

27, 3 sic . . . sic . . . sic . . .

Praeterea vocabulum „dum“ a Minucio nimio studio usurpatum saepius anaphorice ponitur.

Exemplum autem concinnitate rhetorica maxime mirandum praebet locus VI, 2. Hic enim habemus anaphoram trimembrem vocabuli „sic“, ita ut secundo membro sex membra anaphorice posita vocabuli „dum“ subordinentur, quorum terna ad cultum deorum domesticorum, terna ad deos hostium devictorum pertinent, ut in omni parte lex Minuciana trimembris eluceat.

6, 2 Sic eorum potestas

sic imperium suum . . .

dum . . . dum . . . dum . . .

dum . . . dum . . . dum . . .

sic dum . . .

Praepositio „cum“ semel anaphorice posita est

31, 3 cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos.

Ter usurpat anaphorice Minucius coniunctionem

„cum“ 29, 8 cum vehitur . . . cum labitur . . . et cum erigitur iugum, crucis signum est, et cum homo . . . deum veneratur.

32, 5 cum tonat, fulgurat fulminat cum serenat Considera hoc loco, quomodo poeta naturam imitetur: uno ictu „tonat, fulgurat fulminat“, paulatim „serenat“; ideo „cum“ repetitur nec minus hoc loco lex trimembris servatur.

Porro anaphorice cumulantur: „de“

25, 5 templa omnia de manubiis i. e. de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum.

„quid“ 25,3 quid inreligiosius, quid audacius, quid astutius?

„huius“ „hac“ 9, 5.

negationes: „nunquam“ „non“ 5, 12 et 10, 3.

cap. 10, 12 „nunquam“ bis anaphorice positum respondet anaphorae vocabuli „sed“

„nunquam palam loqui, nunquam libere congregari; sed palam, sed templis aris victimis caeremoniisque“

„tam“ 17, 4 tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum.

Figuram anaphorae Cicero quoque amplectitur, sed differt Minucius a Cicerone, quod ille nimius est in hac figura usurpanda et sic suae aetatis rationi nimis indulgere videtur. Ciceronis quidem anaphoram infra, cum chiasmus tractabitur, accuratius tractabo.

c) Chiasmus.

Non minus quam anaphora forma chiasmi Minucii propria dici potest. Namque paucis tantum locis anaphoram sine chiasmo invenimus. Haec quidem figura omnium maxime materiam ad iudicium exercendum suppeditabit. Ex multis eius formae exemplis libet gravissima tantum afferre: 19, 4 „Sit Thales Milesius **omnium primus**, qui **primus omnium** ... disputavit, is autem Milesius Thales ... hoc loco duplex, ut ita dicam, chiasmus occurrit idque efficacia chiasmi ad membra quoque eius, quae sequitur, periodi pertinet, scilicet ... „Thales **Milesius**, is autem **Milesius** Thales“ quibus verbis inclusus est chiasmus: „omnium primus, primus omnium“. Exstat igitur haec forma: a b c d d c b a. En ratio rhetorica ampullas affectans!

Ciceronis verba idem dicentia, quam jejuna et arida cum his collata!

Cic. de nat. deor. I, 10: „Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum.“

Cicero igitur tria vocabula adhibet, cum Minucius octo cumulet.

Omnium maxime vocabulorum „pronomina“ chiastice exaggerantur.

Cfr. 10, 2 templa nulla, nulla nota sacra.

35, 4 cum parentem omnium et omnium dominum.

10, 5 in omnium mores, actus omnium.

23, 10 tormentis quibus et quibus machinis.

Hoc logo non refugit Minucius duram verborum positionem, dummodo obtineat figuram chiasmi. Cfr. ad hoc Cic. Verr. 4, 44, 96 „nequaquam ex tam ampla neque tam ex nobili civitate.

Praeterea duo exstant exempla, in quibus per emendationem figura chiasmi restituta est.

5, 1 „utpote repudiaris alterum, comprobaris“. Luce clarius „alterum“ semel excidisse; itaque omnes homines docti legunt: „utpote repudiaris alterum, alterum comprobaris.“

Haud ita facile altero loco dijudicaveris, utrum „omnibus“ iterandum est annon.

5, 4 „Atqui indignandum est omnibus, indolendum est.“

Haec quidem verba corruptelam traxisse, certum est; nam nullo alio loco dialogi in asyndetis adhibendis exstat eiusmodi inconcinnitatis exemplum. Quomodo igitur mendum facillime tolli potest?

Praeter Halmium et Dombartum, qui textum codicis retinent, omnes fere homines docti „et omnibus“ inserunt. Quam scripturam prorsus in colorem Minucianum convenire constat; sed quomodo duo simul vocabula exciderint, non tam facile quis interpretetur. Melius igitur Vahlenus unum vocabulum „omnibus“ inserit, quod iteratum facile semel excidere potuit: „Atqui indignandum est omnibus, omnibus indolendum est.“ Sed ne huic quidem emendationi quamvis verisimili velim accedere. Dombartus in nova editione verba codicis retinens prius vocabulum „et“ inseruit, quae emendatio omnium maxime verisimilis mihi esse videtur. Indagavi enim locum huic prorsus similem, ex quo apparet, Minucium non omni loco chiasmi figuram adhibuisse cfr. 13, 4 „Quid Simonidis melici, nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio?“ „Omnibus“ igitur non iteratur, sed „et“ ponitur. Itaque priore quoque loco „et“ inserendum esse puto, quod eo magis verisimile est, cum plures exstent loci, quibus brevia vocabula velut: „et“ „de“ „non“ excidisse certum est.

„Verborum“ chiasmi formam habent in primis „esse“ et „posse“.

c. 37, 2 et 3 „non potest propagare vitam, **potest** honestare militiam, at enim . . . finitur sic christianus miser videri **potest**, non potest inveniri . . .

hic igitur chiasmus per plures periodos efficax existit: en ratio rhetorica nimiam et calamistratam effectans concinnitatem.

32, 9 „tenebris **interest, interest** cogitationibus nostris quasi alteris tenebris.“

In universum quidem aestimanti patet Minucium in eo quoque genere ut Ciceronem imitari, ita ratione rhetorica obstrictum concinnitatem Ciceronianam quasi calamistris inurere ampullasque affectare.

Saepissime duo paria notionum consertarum chiastice ponuntur. Ex multis exemplis pauca afferam eaque ex alia quoque causa commemoratione digna.

Omnium fere locorum maxime hominum doctorum iudicia exercuit loc. 14, 1 „ut pistorum praecipuus, ita postremus philosophorum.“ Vocabulum „pistorum“ critici nullo modo ita interpretari vel emendare poterant, ut ab omnibus probaretur; alii alio modo veritatem investigabant.

Atque primum quidem Halmius auctore Vahleno emendat „christianorum“, quam emendationem equidem nullo modo probare possum. Nam quomodo ex „christianorum“ „pistorum“ manare potuerit, nullo modo quis interpretetur. Sane sunt qui id ex scriptura: XPISTORVM derivare velint; sed id vocabulum hoc modo scriptum fuisse, quis est, qui demonstret? Immo Baehrensius negat in ullo codice vocabulum „christiani“ sic exaratum se invenisse. Ex scriptura autem „xpianorum“, quam Baehrensius saepius invenit, nullo modo „pistorum“ manare poterat. Accedit, ut Caecilius omnibus fere locis uno excepto vocabulum „christiani“ devitet eosque conviciis vel pronomibus significet cfr. 5, 3 nonnullos; 5, 4 quosdam; 8, 3 homines, homines inquam . . . 8, 4 latebrosa et lucifuga natio.

Uno vero loco, quo appellantur christiani 10, 5 „at enim christiani, quanta monstra!“ necesse est, eos nominare, cum contra Iudaeos ponantur.

Hanc igitur emendationem reprobō. Dombartus retinens „pistorum“ interpretatur: „Mühlknechte“, cum supra Octavius

homo Plautinae prosapiae appelletur. Ut Plautum enim in pistrina victum quaesisse. ita christianos artibus sordidis vitam sustentasse. Sed neque haec interpretatio mihi probatur. Nam quae rationes inter „pistores“ „Mühlknechte“ et Octavium causidicum intercedant, non intelligo. Unum saltem exemplum afferendum est, quo appareat, christianos pistores crepari; sed desunt exempla. Ceterum Caecilius christianos artium quoque sordidarum expertes esse vult. V, 7 „expertes etiam artium sordidarum.“

Christianos quidem vocabulo „pistorum“ a Minucio significari luce clarius, si contulerimus huic loco cap. 20, 1, in quo Octavius haec opprobriose dicta refutare conatur: „ut quivis arbitretur aut nunc christianos philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc christianos.“ Sed quomodo ex vocabulo „pistorum“ erui potest notio „christianorum“? Forsitan in „pistorum“ vocabulum Graecum „πιστῶν“ quaerendum est i. e. fideles, quo vocabulo in sacra scriptura christiani appellari solent. Haec notio bellissime quadrat in sensum verborum, nam credulitatem christianorum Caecilius praecipue vult cavillari. Cfr. 5, 3; 8, 4 „cuilibet opinioni temere succumbere“ „credulis“. Huc accedit, ut illis ipsis temporibus, quibus gnosticismus florebat, ii qui christiana dogmata sine intellectu credebant, nominati sint „πιστικοί“ i. e. homines infimae condicionis (Plautinae prosapiae). Verisimile igitur est, Minucium vocabulum „πιστικοί“ latina forma induisse vel etiam „πιστικῶν“ *) exaravisse, quod postea librarius quidam in „pistorum“ transformavit. At enim vocabulum „pisti“ vel „pistici“ nullo alio loco usurpatum aliquam afferat dubitationem! Minime; sane perpaucae supersunt Italiae, quae dicitur reliquiae, ut et multa alia verba Graeca latine formata interisse et hoc vocabulum non admodum alienum sit. Ceterum Minucius usurpat circa decem vocabula ἀπαξ εἰρημένα cfr. Woelffl. Lexikogr. Minuc. Felix pag. 483.

Sed longe creberrime adhibet Minucius chiasmum cum

*) Eo ipso tempore homines eruditiores in usu vitae magnā ex parte Graeca lingua utebantur multaue vocabula Graeca scriptis latinis inserebantur. Minuc. c. 20, 6 φιλιππίζειν 8, 2 „atheon cognomen“. cfr. Sittl, Jahresbericht über Spätlatein.

anaphora mixtum, ita ut trinorum membrorum bina posteriora chiastice conjungantur: a b **a b b a**. Haec figura tamquam lex Minuciana omnibus fere locis, quibus terna membra anaphorice conseruntur, nobis occurrit. Nec non Cicero utitur hac figura, sed rarissime collatus Minucio cfr. Mil. 8: „luget senatus, maeret equester ordo, tota civitas confecta senio est.“

Apud Minucium permulta exstant exempla. Es iis nonnulla afferre libet, quibus hanc figuram eum praecipue affectasse appareat.

7, 6 „Vates dant cautelam periculis, morbis medellam, spem adflctis, / opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus levamentum.

En tria priora paria chiastice conserta! cur tandem in quarto membro variat Minucius in ordine? Sine dubio ad obtinendam figuram exoptatam: a b a b b a.

6, 1 „Eleusinos Cererem, Phrygas Matrem, Epidauros Aesculapium, Chaldaeos Belum, / Astarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium.“

Hoc quoque loco deflectit Minucius in tribus membris posterioribus ab ordine enumerationis, ut obtineat suam figuram.

Tertium quoddam eius figurae exemplum afferam, quod criticis malam attulit crucem, ita ut alii alio modo vel interpretari vel emendare conarentur.

3, 4 „Atqui indignandum omnibus et indolendum est, audere quosdam et hoc studiorum rudes litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac maiestate decernere . . .“

Crux igitur erat „expertes artium etiam sordidarum.“ His verbis nullo modo opprobrium in christianos dici putabant; nam apud veteres quidem nihil fuisse inhonestius, quam artes sordidas exercere. Itaque emendabant nonnulli „etiam“ in „nisi“; Baehrensius ponit pro „expertes“ „ex parte“, quas emendationes neque re neque forma commendatos rejicio. Atque Maehlyus „expertes“ omnino expungit tamquam glossema vultque „artium etiam sordidarum“ genitivum qualitatis esse. Hunc quidem longe ineptissime iudicasse et hunc locum temere corrupisse vel ex eo apparet, quod nil durius videatur, quam genitivus qualitatis post duos genitivos a „rudes“ et

„profanos“ pendentes. Hac in re Kronenbergius rem acutetigisse mihi videtur dicens: „tumens indignatio non parcit linguae.“ Ceterum alia habeo, quibus hunc locum defendam. Si enim rem ipsam paulo accuratius respexerimus, facile intelligemus Caecilium velle christianos expertes esse etiam „artium sordidarum“. Nam si cap. 8, 4 haec mala in christianos cumulat opprobria: „natio lucifuga, in angulis garrula; legem profanae coniurationis instituunt“ valde verisimile est Caecilium velle christianos signare homines multo peiores et contemptiores, quam homines artes sordidas exercentes. Hi quidem apud Romanos in nullo erant honore atque despiciabantur, sed tolerabantur tamquam homines innocui. Cum his igitur christiani nequaquam aequantur, quippe qui coniurati et scelesti significantur, quare facile intellexeris, cur Caecilius dicat: „expertes etiam artium sordidarum.“ Sed alterum habeo non minus grave argumentum, scil. figuram rhetoricam a b a b b a, Minuciani sermonis vel maxime propriam. Itaque hunc locum et forma et re confirmatum cum Halmio et Dombartho incolumem retineam.

Ad rationem autem rhetoricam hoc in genere maxime illustrandam aptus sit loc. 22, 5:

„Vulcanus claudus deus et debilis	a b	}	a b
Apollo tot aetatibus levis	a b		
Aesculapius bene barbatus	a b		
etsi semper adolescentis Apollinis filius			
Neptunus glaucis oculis	a b	}	a b
Minerva caesiis	a b		
bubulis Juno	b a		
pedibus Mercurius alatis	a b	}	b a
Pan unguatis	a b		
Saturnus compeditis	a b		

Tota igitur figura constat ex tribus partibus, quarum pars media cum fig.: a b a b b a duabus inclusa est partibus ternorum membrorum anaphorice positorum, ita tamen, ut pars tertia chiastice ponatur ad secundam partem. En lex Minucii trimembris et in partibus et in earum membris elucens! en ratio rhetorica calamistros nimiamque affectans concinnitatem! Differt a Minucio Cicero, qui amplectitur quidem orationem concinnam et rotundam, sed ad hunc stilum rheto-

ricum jejunitatem fere et simplicitatem prae se fert. Atque de asyndetis quidem Minucianis haec tenus.

II. Polysyndeton, conjunctiones copulativae, disjunctivae, correspondentes.

a) Polysyndeton.

Adhibetur quidem polysyndeton a Minucio, sed longe parcius asyndeto occurritque haec figura variis formis. De exemplis ea tantum afferam, quae aut forma aut re memoratu sint digna.

Et figurae quidem: et — et — et — et — nec praebet exemplum loc. 25, 12 „cum pontifices et arvaes et salios et vestales et augures non haberent nec pullos cavea reclusos.“

Nec non Cicero raro adhibet polysyndeton, cuius figurae tria apud Draegerum exstant exempla Brut 21, 81; de nat. deor. 2, 31, 80, cfr. Draeg. lat. hist. Synt. § 311, 1.

Alterum porro mirum polysyndeton Minucianum praebet loc. 38, 5: quoque et — et — et — etiam „Socrates, Arcesilas quoque et Carneades et Pyrrho et omnis Academicorum multitudo, Simonides etiam.“

Minuciani enim sermonis proprium est, nonnulla membra per „quoque“ et „etiam“ adungere. Neque vero apud Cicero- nem invenias exemplum, in quo per „quoque“ et „etiam“ singula verba adserantur; respuit enim hanc dissolutam conjunctionem Ciceroniana concinnitas et elegantia. Minucius hoc in genere propius accessit sermonem cotidianum; sed in univ- ersum non admodum amplectitur hanc figuram, quia parum convenit in colorem rhetoricum.

b) Conjunctiones copulativae.


„Ac“ „atque“. Hae quidem conjunctiones ut a Cicerone, ita a Minucio ad conserendas notiones inter se cohaerentes usurpari solent 21, 4 „Scit hoc Nepos et Cassius in historia; et Thallus ac Diadorus hoc loquuntur“.

Posterius igitur par nominum Graecorum tamquam inter se cohaerentium per „ac“ coniungitur, cum per praecedentem

conjunctionem „et“ tota sententia adnectatur. At enim non respondet conjunctioni „ac“ conj. „et“ in altero praecedente pari latinorum nominum! Hac ipsa re differt Minucius a Cicerone, quod illam, quam adhibet Cicero in conjunctionibus usurpandis concinnitatem saepe negligit, ita ut plura membra similia variis conjunctionibus conserat membraque disparia iisdem conglutinet conjunctionibus, cfr. 25, 8 „Romulus, Picus, Tiberius et Consus et Pilumnus ac Volumnus dii“

et — et — ac.

Maxime autem mirandum hoc in genere est exemplum 22, 1



hoc igitur loco Minucius triplici variat genere conjunctionum. Duo omnino discernas membra I et II asyndetice posita, quorum alterum II in tres partes discedit per „et“ conjunctas, ita ut tertia pars in duo rursus membra dissolvatur. Hac autem variatione membra inter se cohaerentia distinguuntur, ut „luctus atque planctus“ unam quodammodo faciant notionem contra „fata et funera“ et „fata et funera et luctus atque planctus“ in unam rursus coeant notionem contra „exitus tristes“.

En exemplum, in quo membra inaequalia iisdem conjunctionibus conserantur, quare prorsus prae se fert Minucius colorem sermonis cotidiani. 22, 5 „Diana venatrix est alte succincta et Ephesia mammis multis et uberibus exstructa et Trivia trinis capitibus et multis manibus horrida“.

Haec quidem dissoluta conjunctio membrorum dissimilium per easdem particulas abhorret ab elegantia Ciceroniana.

Alia exempla haec sunt: 25, 2 „ut christianus reus nec erubesceret nec timeret et solummodo poeniteret“.

25, 2 „et nunquam vel investigari vel probari nec aliquem exisse“.

Nec non verborum compositiones „et nunquam“ „nec aliquem“ non nisi in epistolis a Cicerone interdum usurpantur Minuciusque hoc in genere sermoni cotidiiano indulgere videtur.

Conjunctionis vero „ac — quoque“ neque apud Ciceronem

neque apud Minucium exstat exemplum. Cornelissenus quidem et Baehrensius locum 20, 5 turpissime corrumpentes obtinent hanc conjunctionem, sed eiusmodi emendationes neque re neque forma commendatas perhorresco. Scriptura igitur codicis haec est: 20, 5 Similiter ac vero erga deos quoque maiores nostri improvidi credulis rudi simplicitate crediderunt“.

Ac primum quidem Heumanni emendatio „improvide creduli“ pro „improvidi credulis“ valde mihi probatur. Sed ad litteram „S“ post „creduli“ in codice exaratam declarandam malim scribere: „improvide creduli et rudi simplicitate“. Facile enim in scriptura codicis ex signo, quo „Et“ exprimebatur, manare potuit „S“. Sic igitur lego: „improvide creduli et rudi simplicitate crediderunt“.

Minime autem assentiar sententiis Baehrensii et Cornelis-seni, qui Minuciani sermonis proprietates nescientes hunc in modum verba depravant:

Baehrensius: „similiter vero heroas ac deos quoque crediderunt“.

Cornelissenus: „Similiter vero ac deos heroas quoque“.

Quid ineptius tali emendatione? Ut enim omittam nullo alio loco inveniri „ac — quoque“, quomodo forma et re talis mutatio defensari potest? Haec quidem ratio emendandi scriptores veteres prorsus abhorrere mihi videtur a certa via et lege, quae in nostra potissimum disciplina vel maxime desiderantur. Quanto laudabilius emendabant Halmius ille et Dombartus nihil nisi gravissimis causis urgentibus mutant. Cum his igitur retineo hujus loci textum in codice exaratum et ne corrupta quidem statuo haec verba, sed insolitam elocutionem a proprietatibus Minucianis esse repetendam. Ac primum quidem „ac vero“ defendere posse mihi videor Minuciani sermonis proprium esse demonstrans conjunctiones quasdam ab optimis scriptoribus aut primo aut secundo loco positas a Minucio et primo et secundo loco promiscue poni, velut „itaque“ „igitur“ „ergo“ „proinde“ etc. Ita „ac vero“ alias primum locum tenens a Minucio primo verbo postpositum esse statuo nec alienum puto id esse a colore Minuciano. Duo enim vocabula tamquam una notio apparent = wahrlich; neque scriptor ponderabat, quid verba proprium valerent

vel ut in usurpatione vocabuli „itaque“ secundo loco positi. Accedit, ut adverbii praecipue eiusmodi conjunctiones apud Minucium adjungantur. cfr. infra „adverbia“.

Tum praepositio „erga“ malam attulit illis criticis crucem quippe ignorantibus „erga“ e sermone ecclesiastico ductum esse idemque valere quod valet „de“, cfr. Tert. apol. 2 „agitur erga nos“ Marc. IV, 35 „erga species ipsius vitii“ pro „speciebus“ cfr. praeterea in lingua Graeca „πρὸς τοὺς θεοὺς“ in Bezug auf die Götter. Itaque hoc modo interpretor: „Aehnlich fürwahr glaubten sie auch von den Göttern“.

Non supervacaneum sit, Synnerbergii quoque, qui recentissime „observationes criticae in Minucium“ edidit, emendationem in hunc locum afferre. Ille igitur homo criticus mutat „ac vero“ in „autem erant“. Quod quomodo fieri potuerit, non intelligo. Forma enim hanc emendationem nequaquam defendi posse, certum est, sed ne re quidem probari statuo. Nam quod Synnerbergius hoc loco vitiosum putat, scil. „creduli crediderunt“, id ipsum Minuciani sermonis existimo praecipue proprium. Per „creduli crediderunt“ credulitatem clarissima luce illustrari, quis non videt? Tum nonne est rationis rhetoricae verba exaggerare? Has igitur proprietates Minuciani sermonis ignorantes et Synnerbergius et alii critici multis locis textum codicis corruptum esse opinati vel perperam eum interpretabantur vel prave emendabant.

c) Conjunctiones disjunctivae.

„Aut“ saepe adhibetur a Minucio non ad contrarias notiones, sed varias conjungendas differtque hac re Minucius a Cicerone, qui per „aut“ notiones non nisi contrarias conjungere solet. Sunt quidem apud hunc quoque nonnulli loci, quibus „aut“ similiter usurpatur.

Cfr. Minuc. 20, 6 „unaquaeque natio conditorem suum aut ducem inclytum aut reginam pudicam sexu suo fortio-riorem, aut alicuius muneris vel artis repertorem ut civem bonae memoriae“.

Libentissime vero Minucius „aut“ adhibet ad duas notiones inter se aequales rhetorice distinguendas, quo in genere color rhetoricus praecipue elucet cfr. 4, 6 „cum amicitia pares semper aut accipiat aut faciat“

4, 6 „nec hoc obsequi fuit aut ordinis aut honoris“

29, 2 „qui putatis deum credi aut meruisse noxium aut potuisse terrenum“ etc.

Nimirum in arguta membrorum distinctione color rhetoricus praecipue apparet ideoque hanc figuram Minucius summo amplectitur studio.

„Vel“ saepius adhibetur ad distinguenda membra, quae maiori membro cum „aut“ subordinantur. Interdum haec vocabula idem valent et promiscue usurpantur velut loc. 19, 3 „Unde autem vel quis ille aut ubi deus unicus“?

d) Conjunctiones correspondentes.

Maxime usurpat Minucius conjunctionem correspondentem „et — et“, ita ut multis locis haec concinnitas nimis quaesita et cumulata videatur.

Cfr. 26, 11 „et eloquio et negotio primus Hostanes **et** verum Deum merita maiestate prosequitur **et** angelos Dei sedem tueri eiusque venerationi novit assistere, ut et nutu et vultu Domini territi contremiscant.“

Ter igitur uno loco haec figura adhibetur. Hoc loco Hartelius palmarem fecit conjecturam verba tradita „sed et veri“ mutans in „sedem tueri“. Facile enim ex scriptura: „SEDĒTVERI“ „sed et veri“ manare poterat.

Vel maxime sermonis Minuciani propria est particula correspondens „interim — interim“ cfr. 19, 9 „nam interim mentem mundum, interim deum dicit, interim mundo deum praeficit.“

„Interim“ et „interdum“ idem apud Minucium valent cfr. 19, 10 „aethera interim interdumque rationem vult omnium esse principium.“

Minucius igitur in his sermonis partibus est quidem Ciceronianus, sed turbat Ciceronis elegantiam et exaggeratione rhetorica et dissoluto cotidiani sermonis genere.

B. Conjunctiones conclusivae, causales et adversativae.

„Itaque“ a Minucio sedecies omnino adhibetur atque quinque secundo loco pronomini vel adverbio adjunctum

16, 4 und 16, 6 „nullum itaque“ „nihil itaque“

21, 5, „is itaque Saturnus“ 1, 4 „sensim itaque“
 19, 4 „Platoni itaque“
 nunquam adjungitur „itaque“ conjunctioni, sed praeponitur
 cfr. „itaque cum“ 1, 5; 2, 4; 8, 1,
 item verbis et pronominebus relativis „itaque“ praeponi solet
 cfr. 40, 2 „itaque quod“ 14, 5 „itaque quo“;
 5, 4 „itaque indignandum est“ 4, 4, itaque progrediar altius.
 „Igitur“ quaterdecies usurpat Minucius atque sexies
 primo loco. Adjungi solet pronominebus demonstrativis et
 adverbis cfr. 26, 8 isti igitur spiritus; 27, 1 isti igitur . . .
 31, 4 merito igitur . . .

Semel occurrit tertio loco 40, 1 „dum istaec igitur“.
 Praeponitur fere conjunctionibus vel praepositionibus cfr. 1, 3
 „igitur post“ 36, 6 „igitur, ut“ 4, 1 „igitur cum“; semelque
 „cum igitur“ 6, 1.

Aliae Minuciani sermonis propriae conjunctiones hae sunt:
 „Proinde“ bis adhibetur et primo et secundo loco.
 cfr. 38, 5 „proinde Socrates“ . . .

14, 7 „nos proinde“ . . . item dicitur: „nos igitur“ Minuc.
 37, 11. Cicero tertio etiam loco pronomini „nos“ adjungit
 „igitur“ cfr. orat. 9 „referamus nos igitur“.

Adeo = velut cfr. 32, 5 „in solem adeo intende“ = ja
 sogar 37, 7 „in hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus
 eriguntur“.

„Denique“, „Sane“ „Ergo“ promiscue et primo et
 secundo loco usurpantur cfr. 20, 6; 31, 8; 38, 2; 25, 6.

C. Structura periodorum.

I. Subjectum, praedicatum, objectum, attributum.

a) Subjectum.

Subjecta cum sint fere apud Ciceronem substantiva con-
 creta, Minucius multo magis amplectitur abstracta.

cfr. 5, 4 „philosophia deliberat“

8, 2 „cui atheon cognomen adposuit antiquitas“ . . .
 timorem omnem, quo humanitas regitur“.

20, 2 „non nos debet antiquitas imperitorum fabellis delec-
 tata vel capta ad errorem mutui rapere consensus“.

Hunc locum Baehrensius male tractavit verba „ad errorem

mutui rapere consensus“ mutans in „ad errorum de multis diis rapere consensum“, Eiusmodi in emendando temeritas per se concidit neque existimatione est digna. Cornelissenus autem mutat Heumanno auctore „vel“ in „et“, quod super-
vacaneum iudico, cum „vel“ „et“ idem valere apud Minucium ex multis locis appareat. Ceterum sententia huius loci haec est: „das Altertum, das an den Fabeln der Ungebildeten Freude fand oder davon sich taeuschen liess d. h. das Altertum, das diese Fabeln für wahr hielt, sei es aus Freude an denselben, sei es aus Irrtum“.

Dombarti translationem: „ungebildetes Altertum“ reprobō et conjungo „imperitorum“ cum „fabellis“ i. e. fabellae, quas imperiti credunt et narrant.

Alium affero locum, qui ad summam illam quaestionem profligandam, quo tempore et quem ad finem dialogos sit compositus, summi est momenti. cfr. Praefat.

37, 7 „in hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditae mentes licentia potestatis nundinentur.“ Philosophos aulicos hic designari iam supra dictum est. Haec autem verba sic sunt in codice exarata: „ut ingenium eorum perditae mentis licentiae potestatis.“ Haec quidem verba corruptelam traxisse luce clarius est Rigaltiusque rem acu tetigisse mihi videtur emendans „mentes licentia“; nam facile fieri poterat, ut librarius „mentes licentia potestatis“ non intelligens lege trimembri Minuciana ductus levi mutatione tres genitivos scriberet. Itaque Rigaltii emendatio et re et forma mihi probatur. Hujus igitur loci sententia haec est: „Ja, es gelangen sogar einige deswegen zu hoher Macht und Herrschaft, damit mit ihrem Talente verdorbene Geister ungebunden schachern“.

„licentia potestatis = quod per potestatem licet.

cfr. licentia noctis, tenebrarum = wie die Nacht, die Dunkelheit es gestattet.

Alia huius generis exempla haec sunt

5, 11 „aequatur nequitia melioribus“
en abstractum etiam concreto consertum!

9, 2 „ita eorum vana et demens superstitio sceleribus gloriatur

9, 3 „neque de ipsis . . . sagax fama loqueretur.

b) Objectum.

In objectorum usurpatione differt Minucius a Cicerone vel maxime eo, quod objectum praepositionale nimio studio adhibet. Respuit enim Cicero talem elocutionem struitque maiorem, quae plura membra contineat subordinata, periodum.

cfr. 40, 2 „de providentia fateor = fateor providentiam esse

28, 5 „ut de incestis stupris, de impiatis sacris, de infantibus immolatis faterentur“ etc.

Praeterea sermonis Minuciani maxime proprium est, neutrum pronominis conjunctum genitivo objectum adhibere et rerum et personarum,

cfr. 26, 10 „quidquid miraculi ludunt“

20, 5 „quidquid famae licet fingere“

27, 6 „quidquid daemonum colitis“.

c) Praedicatum.

De praedicato ipso nihil admodum memorandum, praeterquam quod in singulari colectivo aliquotiens pluralis adhibetur.

cfr. 18, 11 „audio vulgus, cum ad coelum manus tendunt, nil aliud dicunt“ etc. . . .

Summi autem momenti est apud Minucium praedicati ellipsis, quae omnibus fere locis usurpatur et tamquam typus Minuciani sermonis apparet. Hanc quidem figuram adhibet Cicero quoque, sed longe parcius, quam Minucius. Et primum quidem hic amplectitur ellipsim infinitivi „esse“, ita ut in uno capite XIX decies fere haec figura usurpetur.

19, 4 „Thales rerum initium aquam dixit.“

19, 5 „Anaximenes et Diogenes aera deum statuunt.“

19, 8 „Demokritus, nonne plerumque naturam et intelligentiam deum loquitur?“

19, 10 „plerumque rationem deum disserit“ etc.

Ellipsis porro verborum „est“ „sunt“ inveniuntur et apud Ciceronem et apud Minucium: ille quidem in sententiis fere communibus eam adhibet, hic praecipue in anaphoris et interrogationibus, qua re sermoni plus vigoris colorque rhetoricus additur.

cfr. 12, 4 „ecce vobis minae supplicia tormenta et cruces.“

5, 7 quis hic auctor deus?

5, 7 quis deus machinator? . . . unde haec religio? . . .
unde formido? . . .

In sententiis inter se correspondentibus Minucii proprium est, in uno tantum membro ellipsim adhibere, cum Cicero aut in duabus partibus aut in neutra hac utatur figura.

Cfr. 25, 6 „totiens ergo Romanis impiatum est, quotiens triumphatum; tot de diis spolia, quot de gentibus sunt tropaea.“

Cic. nat. deor. 1. 30 „quot hominum linguae, tot nomina deorum.“

In sententiis relativis ellipsis raro invenitur apud Ciceronem, saepius apud Minucium, qui ellipsim quoque verborum „erant“ et „erat“ admittit. Cfr. 25, 6 „igitur Romani non ideo tanti, . . . quod religiosi ., sed quod impune sacrilegi . .

8, 2 „vel, qui prior, Diagoras“ . . .

Praeterea „essent“ „fieri“ omittuntur.

Cfr. 28, 5 „cum si ratio, non instigatio daemonis indicaret,

[essent] urgendi magis, non ut diffiterentur se christianos“ haec quidem ellipsis sane in codice exarata ab omnibus fere hominibus doctis in dubium vocatur, sed alias Minucii ellipses durissimas respiciens malim eam retinere. Cfr. 11, 5 „injustos ipsos magis nec laboro, iam docui“ i. e. injustos ipsos magis [esse docere] nec laboro, iam docui.“

14, 7 „diligenter, quantum potest, singula ponderemus.“

Verba denique dicendi et Ciceroni et Minucio summam figurae ellipsis copiam suppeditant. Cfr. Minuc. 14, 1 „ecquid ad haec, ait, audet Octavius?

4, 2 „cui ego; . . . tum ille . . .

Cicero in verbis movendi potissimum audacissimas adhibet ellipses, ut pluribus locis ad sententiam eruendam divinatione quadam opus sit. Hujus autem figurae apud Minucium exempla desunt, ut illae ellipses vel maxime sermonis Ciceroniani propriae esse videantur.

d) Attributum.

Attributum Minucianum duplici modo studia nostra excitat, scil. „attributum praepositionale“ et „attrib. adjectivum“. Et illud quidem a Minucio, ut objectum praepositionale, pro sententia subordinata adhibetur. Quo in genere unum prae-

cipue exemplum demonstrat, quantum sermo Minucianus ab elegantia Ciceroniana differat.

Cfr. Minuc. 19, 7 „Xenophanen notum est, omne infinitum cum mente deum tradere“

„omne infinitum cum mente deum tradere“

haec verba a Minucio in unum contracta membrum diducta sunt apud Ciceronem in tria membra subordinata. Cfr. Cic. de nat. deor. „Xenophanes, qui mente adjuncta omne, quod esset infinitum, deum voluit esse.“

Haec autem sermonis Minuciani brevis a ratione cotidiana est repetenda.

Alia huiusmodi attributa haec sunt:

3, 6 „testarum in mare iaculationibus“,

7, 2 „specta de libris memoriam“,

7, 3 „de Perse victoriam nuntiaverunt“,

7, 3 „ludorum iteratio de somnio plebei hominis“,

18, 6 „Ob pastorum et casae regnum de geminis memoria notissima est“.

Hoc loco conjungo „memoria“ cum „de geminis“ = die Erzählung von den Zwillingsbrüdern. Desperata autem sunt interpretibus verba: „ob pastorum et casae regnum“, quae alii alio modo interpretantur. Ego quidem maxime textum codicis retinere velim sicque interpretari: „Die Erzählung von den Zwillingsbrüdern, wo es sich handelte um eine Herrschaft über Hirten und eine Hütte*), ist allbekannt.“ Sane dura videatur haec elocutio sed cumulationem attributorum non abhorrrere a ratione Minuciana ex multis locis similibus apparet, cfr. supra

Ut autem attributum praepositionale cotidianum arguit sermonem, ita attributum adjectivum colorem prae se fert poeticum; namque rebus personalia attributa adduntur, quod poetarum proprium est.

Hanc igitur proprietatem Minucianam considerantes facile interpretabimur locum 34, 1, qui hominibus doctis magnam attulit difficultatem.

*) retineo „casae“ nec muto in „casarum“, quod multi interpretes prave fecerunt nescientes hunc locum derivatum esse ex Propertio V. 1, 10 „unus erat fratrum maxima regna focus“.

„Ceterum de incendio mundi aut improvisum ignem cadere aut difficile non credere vulgaris erroris est.“

„Difficile“ alii alio modo vel interpretabantur vel emendabant. Ac Dombartus quidem transponens „aut“ sic legit „ceterum de incendio mundi improvisum ignem cadere aut difficile aut non credere vulgaris erroris est.“ Haec autem emendatio neque re neque forma commendata mihi non probatur. Nam quomodo „difficile credere“ vulgaris erroris sit, equidem non intelligo. Omitto duram particulae „aut“ trajectionem. Baehrensius vero sane omnia ducit apud Minucium trajecta, transposita, transmutata et hunc quoque locum Minucianas proprietates ignorans male mutilat scribens pro „difficile“ „deficiente aqua“. Halmius textum codicis retinens asterisco locum corruptum significat, quae ratio mihi vel maxime probatur, si non bonam habeas emendationem vel interpretationem.

„Dissilire“ pro difficile legit Cornelissenus, neque hanc emendationem recipio: quid enim „aut cadere aut dissilire“? Huc accedit temeritas quaedam in transmutandis et transponendis verbis, ut ob id ipsum a tali abhorream emendatione.

Equidem levi vel prorsus nulla mutatione hunc locum me posse enucleare existimo considerans alium ejusmodi locum, quo de igne inferno tractatur 35, 3. Hic enim fabulatur Minucius de „igne sapienti“ „inexesa“ ... Minuciani igitur sermonis proprium est rebus personarum speciem praebere, rebus adjectiva personalia conjungere (cfr. ad hoc infra: adjectivum). Itaque recte „DIFFICILĒ“ i. e. „difficilem“ interpretari mihi videor: schwieriges d. i. unerbittliches Feuer, ut omnino sensum obtineamus aptissimum: „von dem weltbrande nicht zu glauben, dass ein plötzliches oder (und) unerbittliches feuer herabfalle ...“ nihil sane aptius sensui, nihil facilius obtinendum. Vocabulum „aut“ non disjunctive interpretabimur, sed ut fert sermo Minucianus, quodammodo copulative.

Alia hujus generis exempla haec sunt

2, 1 „et quod est in liberis amabilius adhuc annis innocentibus“

1, 5 „superstitiosis vanitatibus“

quos locos idem Baehrensius, qua est temeritate, corrumpit sicque colore poetico denudat. Ceterum, cur non alios quoque locos similes corrigere conatus sit, non intelligo.

cfr. 9, 7 „sic everso et extincto conscio lumine . . . impudentibus tenebris . .

9, 3 „nec de ipsis sagax fama loqueretur“

Hinc quidem satis patet, quantopere ad scriptores recte aestimandos vel emendandos opus sit penitus callere eorum stilum et colorem.

II. Coordinatio et Subordinatio.

a) Coordinatio.

Coordinatione sermo altiore sumit impetum plusque vigoris obtinet; itaque Minucius, quae est eius ratio rhetorica, multo saepius adhibet coordinationem quam subordinationem. E multis haec sint pauca exempla: 18, 7 „vide cetera: rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus“.

17, 9 „vide fontes: manant venis perennibus etc. . .

Parataxeos autem post „credo“, quam saepe adhibet Cicero per ironiam, non exstat apud Minucium exemplum.

Creberrime adhibet Minucius coordinationem pro sententia condicionali subordinata, ita ut imperativus praecedat et sententia cum „iam“ vel „tum“ sequatur.

cfr. Minuc. 33, 4; 17, 5; 21, 1.

Uno loco incipit sententia posterior cum „et“, quod quidem cotidiani sermonis est.

18, 10 „aufer additamenta nominum: et perspecies eius claritatem“.

Praeterea pro sententia subordinata concessiva et causali adhibetur coordinatio.

cfr. 26, 3 „Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est. Pullos edaces habuit et Paulus, apud Cannas tamen prostratus est. Quid Regulus? nonne auguria servavit et captus est“.

18, 8 „hic non videri potest: visu clarior est; nec comprehendere: tactu purior est; nec aestimari: sensibus maior est“.

37, 9 „rex es: sed tam times, quam timeris; dives es: sed fortunae male creditur etc.

Minucius ergo in adhibenda coordinatione nimis indulget rationi rhetoricae, Cicero utitur ea parcius.

b) Subordinatio.

Ut parataxis Minuciana poeticum prae se fert colorem, ita hypotaxis arguit Minucium suae aetatis ratione obstrictum esse, qua re vel maxime differt Minucius a Cicerone.

Et primum quidem sententiae subordinatae, quas dicit Draeger „substantivas,“ varie constructae nobis occurrunt velut „dubitare“ a Minucio semper construitur cum Infinit. c. Acc.

cfr. 23, 9 „Quis ergo dubitat hominum imagines consecratas vulgus orare et publice colere“

item 38, 2; 34, 2.

nec non „metuere“ cum Inf. c. Acc. coniungitur.

21, 10 „fieri se deos metuunt“.

Multo autem saepius fit contrarium, ut pro infinitivo sententia cum conjunctione ponatur.

cfr. 28, 2 „hebetes sentiebamus, quasi christiani monstra colerent“

38, 3 „ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis“

hoc uno loco excepto Minucius post „mirum“ „si“ cum conjunctivo ponit, cfr. 34, 5; 16, 4.

Nec non sententiam interrogativam subordinatam adhibet Minucius pro infinitivo c. Acc.

cfr. 17, 5 „iam scies, quam sit in eo (coelo) summi moderatoris mira et divina libratio“.

Haec quidem verba vertit Dombartus: „du wirst sehen, wie wunderbar und goettlich“ ego autem rejicio hanc interpretationem et sic verto: „du wirst sehen, wie da ist ein . . .“ „quam“ igitur idem valere ac „quomodo“ iudico nec conjungo „quam“ cum „mira et divina libratio“, sed cum verbo „sit“. Cuius sententiae alia exstant argumenta: 34, 4 „Vide adeo, quam in solacium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur“.

Praeterea etiam abusio conjunctionum „quamquam“ et „quamvis“ memoranda sit vel ad colorem poeticum vel ad

vulgarem rationem referenda: Illud enim conjungit Minucius cum conjunctivo, hoc cum indicativo.

cfr. 35, 5; 35, 5; 8, 1.

Ac de subordinatione quidem hactenus.

Pars altera.

Minucius Felix collatus aequalibus suis Apuleio et Tertulliano et sermoni ecclesiastico ad orationis elementa:

- I. Substantivum.
- II. Adjectivum.
- III. Adverbium.
- IV. Comparatio.
- V. Verbum.
- VI. Pronomen.
- VII. Praepositio.

I. Substantivum.

Substantiva Minuciana omnino quidem Ciceronianum prae se ferunt colorem, sed multa influxisse elementa cotidiani sermonis apparet. Sane quidem Minucium paene Ciceronianum esse putes, si eum aequalibus suis Apuleio et Tertulliano contuleris, qui verba vel maxime horrida non repudiarent.

Et primum quidem substantivorum in „mentum“ exeuntium haec adhibet Minucius: 11, 9 figmentum; 7, 9 levamentum; 12, 1 experimentum; 18, 11 additamentum.

Haec omnia usurpat etiam Cicero praeter „figmentum“. Contra has verborum formas cfr. aequalium tamquam monstra: mag. 7 honestamentum; de deo Soc. 235 placamentum etc.

Tertull. c. Marc. IV, 1 aemulamentum cult. fem. 12. decoramentum; Marc. III, 22 obligamentum

„Figmentum“ est apud Minucium: Erdichtetes, Fabel; in sermone vero eccles. valet: Gebilde, Geschöpf. cfr. Rom. 9. 20, num quid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? „experimentum“, quamvis usurpetur a Cicerone, tamen

ex Itala quae dicitur Minucium id vocabulum sumpsisse statuo, quod eo magis apparebit, si rationes inter Minucium et Italam intercedentes accuratius perscrutati erimus. Hoc enim vocabulum a „piraterium“ derivatum esse, ex contextu verborum satis constat. Namque sic Minucius cap. 36, 8 „quod corporis humani vitia sentimus, militia est“ ... tum c. 37, 2 „nemo praemium percipit ante experimentum“. Valet igitur „experimentum“, Prüfung, Kampf, quod idem „militia“. Atque hoc in ecclesiastico quoque sermone confirmatum videmus. Etenim Job. 7, 1 in Itala ita est exaratum: „piraterium est vita hominis super terram“ in Vulgata vero: „militia est vita hominum super terram“. Loc. 12, 1 usurpat Minucius „experimentum“ ratione Ciceroniana = Beweis: „nec capitis experimentum...“

Nimio porro studio amplectitur Minucius substantiva diminutiva, ut hoc in genere maxime appareat, quam arto vinculo conexus sit sermo Minucianus cum Itala. Nam multa in Itala inveniuntur diminutiva, quorum in vulgata non exstant vestigia. Ex multis exemplis haec: 37, 5 terricula 34, 1 notaculum cfr. Rom. 4, 11 signaculum 9, 5 tirunculus 9, 6 offula haec quidem propria sunt Minucii; praeterea occurrunt 25, 3 muliercula 3, 5 navicula 29, 8 palmula; 16, 4 miraculum 32, 2 aedicula. Haec omnia apud alios quoque scriptores inveniuntur, ita ut non usurpatio ipsa, sed nimium in iis adhibendis studium colorem arguat Africanum.

Substantivorum in „ura“ exeuntium duo apud Minucium exstant exempla 36, 2 „genitura“ = das angeborene Naturell; hoc vocabulum in Itala quoque inveni Matth. I, 1 „liber geniturae“ = Abstammung, Stammbaum cfr. Vulgata: „liber generationis“.

23, 12 cultura = die Verehrung.

Postremo eiusmodi quoque substantiva a Minucio adhibentur, quae formam quidem habeant Ciceronianam, sed sensu ecclesiastico usurpentur, velut „oratio“ = Gebet. cfr. 18, 11 „christiani confitentis oratio 27, 5 „orationis incendiis“ haec verba vertit Dombartus: „durch die Feuerbraende unserer Ansprache“, quae interpretatio mihi non admodum probatur. Namque „orationem“ valere „Gebet“ ex loc. 18, 11 satis patet; tum „incendia“ ad certam rem pertinere mihi videntur, scilicet:

incensum = Weihrauch, quippe cum in expellendis daemonibus oratio et incensum adhiberentur; interpretor igitur: durch den Weihrauch des Gebetes cfr. Ps. 140: „dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo“! Praeterea subsequuntur verba: „prout gratia adspirat“ quae sine dubio certam significant rem cfr. infra „verbum“.

Nec minus false interpretabantur homines quidam docti vocabulum „filii“ item de sermone ecclesiastico sumptum. Ignorantes enim „filios“ ut in sermone ecclesiastico valere „Kinder“ non „Soehne“ alii alio modo scripturam traditam depravant. Ac Baehrensius quidem mutat „filios“ in „filias“; Synnerbergius autem retinens „filios“ addit „filias“: sane scite emendatum! Hoc modo omnem tolli colorem poeticum, patet. Monstrum vero quoddam emendationis affert Cornelissenus verba temere transponens et mutans: „necesse est, vos vestras incurrere in filias, in sorores“. Ejusmodi emendatio existimatione prorsus mihi videtur indigna. Quanto laudabilius contra hos homines male criticos Dombartus et Halmius, qui nisi gravissimis causis urgentibus verba codicis non mutarent.

Recte igitur vertere mihi videtur Dombartus verba illaesa retinens: „waehrend ihr blindlings der Liebe froehnt . . . müsst ihr nothwendig immer wieder auf eure Angehoerigen stossen und zu euren Kindern euch verirren“. „Dum passim liberos seritis . . . necesse est in vestros incurrere, in filios inerrare“. Quid clarius horum verborum sententia? „filios“ hic valere „kinder“ omissis sermonis ecclesiastici multis exemplis Minucius ipse praebet argumentum cfr. 30, 3 „Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit . . .“ i. e. filios masculini et feminini generis, quin etiam plures sexus feminini: Vesta, Juno, Ceres — Neptunus Pluto — „recurrere“ porro illi homines critici mutant in „incurrere“ ignorantes hanc notionem contineri vocabulo „inerrare“ i. e. „errando incurrere“ sicque iterum colorem abstergunt poeticum. Nec minus temere mutant illi „vestros“ in sorores, quod qui et cur fiat, nescio nisi forte quia „sorores“ praecedit ob eamque rem hic quoque Minucius „sorores“ scripsisse putandus est. Sic igitur homines quidam docti scripturam codicis depravant. Non multum sane superesset de verbis Minucii, si omnes illam in emendandis scriptoribus temeritatem et libidinem sequerentur.

II. Adjectivum.

In adjectivorum usurpatione idem fere valet, quod dixi de substantivis: declinat quidem Minucius a Cicerone, sed si hoc in genere aequalibus contuleris Minucium multo eum propiorem esse stilo Ciceroniano quam aequalibus suis invenies.

Adjectivorum quidem deminutivorum, quae usurpat, Minucius, ea habet etiam Cicero.

cfr. 30, 1 „novelli hominis“

30, 1 „parvulum corpus“

At aequales monstruosa quaedam praebent exempla:

Apulejus: anteventulus, dicaculus, interulus, eminulus.

Tertull: lingatulus, pennatulus cfr. Roensch pag. 141.

De sermone ecclesiastico haec sunt adjectiva deprompta: 31,8 „spei cohaeredes, fidei consortes.“

Nonnulla adjectiva Minuciana per se usitata proprie usurpantur

cfr. 5, 4 litterarum „profanos“ per analogiam 6, 5 „telis inermes“ cumulatio tragica.

6, 1 „incipites veritatis“

Mirus est etiam usus adjectivorum, quae pro substantivis ponuntur, ita ut genitivus substantivi ex iis pendeat

cfr. 9, 7 „per incertum sortis“

16, 2 „ut propositionis incerto incertior intentio confunderetur“

7, 5 de deorum natalibus donis muneribus

cfr. Cic. de div. II „Etiamne urbis natalis dies“ ...

Hor. Carm. II, 12 „natales Dianae“

In sermone eccl. „natale“ = Geburt cfr. Matth. 14, 6 „die autem Herodis natalis = am Tage der Geburt des Herodes.

„natale“ = Geburtstag cfr. Mrc. 6, 21 „natali suo cenam fecit.

Africitatem, quae dicitur, haec arguunt adjectiva

3, 3 extimus (Fronto, Apuleius)

25, 8 propudiosus (Apul. Gell. Tertull.)

26, 8 insincerus (Fronto, Gell.)

cfr. Woelfflin „Minuc. Felix“ Lexikogr. VII, 4

Contra haec cfr. aequalium formas horrendas

Tertull: indemutabilis, sapientialis, manticularius, infan-
tarius

Apul: cupedinarius, magnarius, inconcupiscendus, honori-
peta

Nostro igitur jure vestigia tantum sermonis cotidiani in
dialogo Minuciano apparere statuimus.

III. Adverbium.

Adverbia cum praepositione conjuncta hoc in genere
notant stilum Minucianum.

cfr. 17, 1 „Inter praecipua“

27, 7 „de proximo“

34, 8 „in aliquem modum“

14, 3 „magnum in modum“

5, 1 „impraesentiarum“ ex „in praesentiarum“

cfr. Genes 50, 20 „sicut impraesentiarum cernitis“.

16, 4 „identidem“ ex „idem — item — idem“

14, 6 brevior forma „itidem“

24, 3 absque = procul „absque feminis“

Nec minus Minucius cotidianae indulget rationi conjun-
gens „esse“ cum „adverbio“ 18, 7 „cum palam sit, paren-
tem omnium deum“

20, 3 „illis erat libenter audire“

„Quam“ usurpatur pro „quomodo“

17, 9 „vide, quam e terrae visceribus animantur“

Rationis enim vulgaris est, verba plurimum quantum pro-
longare. Sic adhibet Minucius pro „cras“ crastino 40, 2 (Apul.
et Gellius) cfr. Sisenna: „hesterno“

Magnam attulit difficultatem hominibus doctis adverbium
„quomodo“ loco 24, 4 „aut cui testa sunt obscoena demessa,
quomodo deum violat, qui hoc modo placat, cum
si eunuchos deus vellet, posset procreare non facere?“ Hunc
igitur locum alii alio modo vel interpretabantur vel emen-
dabant. Et Dombartus quidem retinens verba codicis ita inter-
pretatur: „quomodo deum violat, qui hoc modo placat . . .“
„wie kann einer da noch Gott verletzen, wenn einer auf diese
Weise versöhnt.“ Quam ad opinionem tuendam haec affert

Dombartus exempla Aug. de civ. D. C. 5: „Quae sunt sacri-legia, si illa sunt sacra“ ibidem 21, 27 „qui porrigit eleemosnam christiano, non christiano porrigit, qui non in eo diligit Christum“. Hoc quidem loco defendere sibi videtur Dombartus sententiam relativam „qui hoc modo placat“ pro sententia condicionali „si quis hoc modo placat“. Sed quamvis laudem operam illius hominis docti probam, tamen ut sententiae eius assentiar, non adducor: Verba enim Minucii, si haec eis subesset sententia, nimis tortuosa mihi viderentur.

Prorsus se profligasse hanc difficilem quaestionem Dombartus existimabat, cum apud Senecam, cuius ex libris Minucius multa deprompsit, locum quendam eiusdem sententiae invenisset: „ubi iratos deos timent, qui sic propitios merentur“. Sed ne sic quidem assentiar Dombarto; nam hic quoque locus sententiam desideratam quasi ultro suppeditat, cum verbis Minucii violenter extorquenda sit. Dombarti igitur opinionem ut reprobō, ita laudo eius argutias probitatemque in scriptoribus interpretandis.

Halmius deinde ante „violat“ „non“ inserens sic interpretatur: „wie verletzt derjenige Gott nicht, der ihn so zu versöhnen sucht!“ neque haec emendatio mihi placet, cum verba codicis sine ulla mutatione defendere et interpretari mihi videar. Ut enim „quam“ pro „quomodo“ a Minucio ponitur, ita etiam „quomodo“ pro „quantopere“; utrumque e sermone ecclesiastico deductum. Sic igitur illum locum interpretor: wie d. h. wie sehr verletzt doch der Gott, der ihn auf solche Weise zu versöhnen sucht!“

cfr. lib. Sap. V, 5. „ecce quomodo computati sunt inter filios Dei!“ „schau wie sind sie doch unter die Kinder Gottes gezählt worden!“

Ps. „quomodo facti sunt in desolationem!“

IV. Comparatio.

In adjectivorum comparatione multa apparent apud Minucium Africitatis quae dicitur vestigia. Et primum quidem memoria digna duplex comparatio 19, 2 „proximius“, Deinde superlativa quaedam et comparativa improprie usurpata Africanum arguunt colorem.

cfr. 18, 5 „utrum unius imperio an arbitrio plurimorum
... pro „plurium“

1, 1 „boni et fidelissimi“ Cicero scripsisset „optimi et
fidelissimi“, sed „optimus“ apud Minucium et aequales
ejus superlativi vim non jam habebat. cfr. Tertull.
poenit. 4 „bonum atque optimum = καλὸν κάγαθόν

cfr. Woelffl. „Minucius Felix“ Lexikogr. VII, 4

2, 1 „quod est in liberis amabilius ... pro amabilissimum.“

35, 1 „doctissimorum libris“ pro „doctorum“

Mirum sit, si pro comparativo adhibetur positivus, quam
usurpationem in Vulgata indagari

Ps. 117 V. 8. „Bonum est confidere in Domino, quam
confidere in homine“

V. Verbum.

Verborum in primis ea, quae praepositionibus sint com-
posita, cotidianum prae se ferunt colorem. Et maxime quidem
Minuciani sermonis propria sunt: 30, 2 adstrangulo 40, 2
consubsido 3, 6 irrotare; haec quidem sunt „ἅπαξ εἰρημμένα“,
quae dicuntur; inventor autem Minucius putatur horum ver-
borum 10, 5 intererro 17, 2 concateno 25, 7 de triumpho
26, 11 contremescere 28, 7 deaurare.

Verbum quidem „deaurare“ non est exaratum in codice,
sed sic lego 28, 7 pro „devorare“. Haec est scriptura tradita:
„et eosdem cum Iside religiose devoratis“. Censeo igitur
argumentisque confirmare mihi videor, „devoratis“ manasse ex
scriptura: „DEAVRATIS“ rejicioque emendationem Dom-
barti, Halmii aliorumque hominum doctorum „decoratis“
mutantium: nam primum nusquam adhibet Minucius verbum
„decorare“, tum hoc verbum sine ullo colore poetico abhorret
a stilo Minuciano; gravissimum denique argumentum suppe-
ditat et contextus verborum et Apul. metam. X pag. 265 „me
phaleris aureis et fucatis ephippiis ... exornatum ... affatur.

Roenschius quidem „devorare“ retinere vult innixus
verbis vulgatae proverb. 20, 25

„Ruina est homini devorare sanctos“ sed hoc loco nihil
probat; sensus huius loci prorsus alienus est. Asinos
ornatos defendit etiam versus Propertii (lib. V, I, 21).

„Vesta coronatis pauper gaudebat asellis“.

E sermone porro ecclesiastico haec verba deprompta sunt:

38, 4 *sustinere* = erwarten, hoffen

„coronam vividam a deo sustinemus“

32, 6 „vivificare“

27, 3 *visere* = heimsuchen von Gott oder anderen übernatürlichen Wesen

hanc proprietatem Minucianam si respexeris, facile emendabis et interpretaberis loc. 27, 3 a doctis male tractatum. Scriptura igitur codicis haec est: „hi sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere vates, et ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur“

Verba „hi sunt“ corrupta esse primo statim aspectu liquet. Halmius igitur et Dombartus legunt: „hinc sunt“, sed non recipiam hanc emendationem nulla re commendatam. Equidem eruo ex scriptura HISVNT verbum aptissimum VISVNT sicque lego „visunt et furentes . . . vates“. Haec quidem emendatio bellissime sedet in contextu verborum respondens verbis praecedentibus: „inrepentes etiam corporibus“; tum „visitare“ in sermone ecclesiastico semper in spiritualibus visitationibus usurpatur.

cfr. cant. Zach. 11 „visitavit nos oriens ex alto“

Ps. 105, 4 „visita nos in salutari Tuo!“

Alia Minuciana verba ex usu cotidiano assumpta haec sunt pleraque Minucio cum aequalibus communia:

6, 2 *ferocire* (Apul. Gell. Tertull. Cypr.)

27, 7 *fugitare* (Fronto)

23, 11 *runcinare* (Arnobius)

29, 4 und 32, 3 *propitiare* (Plaut. Apul. Tertull.)

27, 12 *dedecoro* (Tertullian.)

23, 3 *ludos facere aliquem* = ludificare (Plautus cfr. Woelfflin „Min. Felix“.)

Postremo deponentia passive usurpata afferam:

7, 2 „ut remuneraretur divina indulgentia“

25, 11 „adulteria meditantur“

Similia saepe reperiuntur in sermone ecclesiastico.

VI. Pronomina.

In substantivorum, adjectivorum, verborumque usurpatione vestigia tantum sermonis cotidiani apparent, in pronominibus vero adhibendis miram quantam copiam Minucius suppeditat.

Hic maxime apparet, quam arto conexus sit vinculo Minucius sermone ecclesiastico. Nam primum quidem adhibentur pronomina demonstrativa pro articulo, ut plerumque fit in sermone ecclesiastico. In primis vocabulo „mundus“ talis articulus adjungitur

cfr. 32, 1 „totus hic mundus = $\pi\alpha\varsigma \delta \kappa\acute{o}\sigma\mu\omicron\varsigma$

34, 3 „mundus hic omnis“

18, 4 „in hac mundi domo“

17, 3 „hunc totius mundi ornatum“

cfr. Joann. cap. 1, 9 u. 10, „in hunc mundum venientem“
„in hoc mundo erat“

19, 11 is autem Milesius Thales = $\delta \delta\epsilon$

21, 5 is itaque Saturnus = $\delta \mu\grave{\epsilon}\nu \gamma\alpha\rho$

cfr. serm. eccl. Matth. 5, 46 „nonne et ethnici id ipsum faciunt = $\tau\acute{o} \alpha\upsilon\tau\acute{o}$ 27, 44, id ipsum et latrones etc.

Simile praebet exemplum Minucius 25, 1 „at tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit auxilium fundavit imperium“.

Nec non crebra est apud Minucium usurpatio pronominis „ipse“ pro „idem“

cfr. 11, 7 „ipsisne corporibus an innovatis resurgatur“

27, 4 „de ipsis etiam illa“

30, 4 „hodieque ab ipsis Latianis Iuppiter colitur“

loc. 34, 3 etiam „idem“ cum „ipse“ conjunctum invenimus: „Epicureis . . . eadem ipsa sententia est. Loquitur Plato.

Sunt, qui „eadem“ transponant ante „Loquitur“. Rectius mihi videtur Baehrensius „ipsa“ transponere, cuius elocutionis plura exstent exempla 1, 4; 9, 3; 11, 7; 27, 4; 30, 4 und 5. Sic igitur conjunctionem „eadem ipsa“ vitiosam judico.

Postremo usurpat Minucius pronomen, „quisque“ pro „quicumque“ cfr. 13, 1 „quisque vestrum tantus est = quisquis. Hanc quidem formam Africani Apulejus, Tertullianus ex Plauto deprompserunt, cum aetas linguae et aurea et argentea eam prorsus ignoraret.

VII. Praepositiones.

Ut pronomina Minuciana, ita etiam praepositiones magnam praebent sermonis cotidiani copiam. Et maxime quidem usurpat Minucius „de“ pro aliis praepositionibus vel ablat. instrument.

cfr. 7, 5 „praedicta de oraculis fata“

30, 1 „initiari nos . . . de caede infantis“

19, 4 „de dictis suis sapientes esse meruerunt.“

Nec non Tertullianus et Apuleius amplectuntur hunc usum, in primis autem scriptores Italiae, quae dicitur.

„Ex“ saepius pro ablat. instrument. ponitur

cfr. 27, 4 „ut Juppiter ludos repeteret ex somnio

7, 3 ludorum iteratio ex somnio

26, 12, Vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, i. e. inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis et coelestis levitatis admixtione concretam, ex qua monet etiam nos procupidinem amoris, et formari dicit et inlabi pectoribus humanis et sensum movere et adfectus fingere et ardorem cupiditatis infundere“

Hunc quidem locum homines quidam critici male tractabant varias emendationes afferentes. Ac Baehrensius quidem nullum fere codicis verbum hoc loco intactum relinquens sic legit: „ex qua Erotem etiam (Eros pro cupidine amoris) dicit et formari et inlabi“ Ejusmodi emendatio non digna esse mihi videtur, in quam accuratius inquiramus. Dombartus porro sic mutat: „ex qua manet etiam Eros (pro cupidinem amoris) neque haec emendatio mihi probatur: nam Dombartus non interpretatur „procupidinem amoris“; tum non aptam, quamvis multa mutet, obtinet sententiam. Maxime omnium mihi probatur emendatio cujusdam hominis docti „monet“ in „movent“ mutantis (MONET ex MOVĒT) et „pro“ in „per“, ita ut hanc obtineamus scripturam: „ex qua movent etiam nos per cupidinem amoris“ = mit welcher sie uns durch die Liebeslust in Bewegung setzen d. i. in Aufregung, in Leidenschaft bringen“

Sed ne in hac quidem emendatione asquiescam; malim omnino haec verba tamquam interpretatorium et additamentum librarii excludere. Nam idem, quod his verbis exprimitur,

significant ea, quae sequuntur verba: „sensum movere et adtectus fingere et ardorem cupiditatis infundere“. Si autem malueris retinere haec verba, non aliter ac supra emendata velim.

Aliae praepositionum translationes hae sunt: „de“ pro „ex“

cfr. 33, 3 „de paucis innumeri facti, de egentibus divites
37, 11 „quorum de sacris originem

„Ex“ pro „propter“

cfr. 32, 4 „immo ex hoc deum credimus“

Superest unus locus ad illam difficilem quaestionem, quo tempore dialogus sit compositus, profligandam summi momenti. Sic igitur ille locus 38, 5 in codice est exaratus: „philosophorum supercilia contemnimus et adulteros et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos.“ Haec verba corruptellam traxisse facile suspicatus sis; nam primum quidem abhorret eiusmodi oratio a colore Minuciano, qui non nisi raro quattuor jungat membra; sed omnibus fere locis legem observet trimembrem. Tum, quid velint verba „et tyrannos“ equidem non intelligo, nusquam enim significat Minucius philosophos „tyrannos“. Hoc igitur reputans Baehrensius, ut alios locos temere mutavit, ita hoc loco vel aptissimum affert emendationem commendabilem et re et forma: „philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulatores novimus in tyrannos et semper adversus sua vitia facundos“ ADVLATORES ex ADVLTEROS facile derivari potest; item **T** ex **ET**, quippe cum verbum praecedens littera **S** claudatur, ut eadem fere figura evadat. Restat aliud argumentum idque gravissimum ad hanc emendationem tuendam. Hic enim respondet Octavius verbis Caecilii cap. XIII, 3, 4, 5, quo loco de Simonide melico et Hierone tyranno narratur, ut Minucius his verbis sine dubio illas inter tyrannos et philosophos rationes intercedentes condemnare velit. Praecedit enim immediate „Simonides in perpetuum conperendinet.“ Sic levi mutatione et figura timembris Minucio accepta et sententia obtinetur aptissima. Cfr. ad hoc praefationem.

Omnibus igitur Minuciani sermonis partibus tractatis in universum aestimanti constat, Minucium ut in aliis orationis

partibus magis secutum esse Ciceronem ejusque colorem retinuisse, ita in aliis partibus magis admisisse sermonem cotidianum neque pauca deprompsisse e sermone ecclesiastico.

Additamentum.

Minuciani sermonis verba poetica.

Poeticae elocutionis miram quandam copiam praebet Minucii dialogus, ut multis locis loqui poetam suspicatus sis verba versibus non concludentem. Adeo Minucius colorem amplectebatur poeticum, ut ex omnibus fere poetarum libris aliquid decerperet et in suum usum converteret. Et plurimum quidem decerpserit de Vergilii carminibus; nec non ex Horatio et Lucretio tamquam fontibus magna fluxit ei copia verborum, ita ut sermo Minucianus variis coloribus distinctus summa affluat suavitate auribus audientium et singulare quoddam dicendi genus appareat. Non est autem meum, omnia enumerare Minucii elementa poetica, sed locis quibusdam demonstrare, in quantum rationi suae aetatis poeticae indulserit et quantum poetici coloris suis intexuerit verbis. Ad quod illustrandum hunc affero locum ex mera fere elocutione poetica compositum III, 3. „Ibi harenas extimas, velut sterneret ambulacro perfundens lenis unda tendebat et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, esti non canis spumosisque fluctibus exhibat ad terram, tamen crispis tortuosisque ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso aequoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc ad pulsum nostris pedibus adluderet fluctus nunc relabens ad vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim itaque tranquilleque progressi oram curvi molliter litoris fabulis fallentibus legebamus“.

En Horationa sat. II, 12 — „seu pila velox molliter austerrum studio fallente laborem“

„esti non canis spumosisque fluctibus exhibat ad terram“

cfr. Lucrez lib. II, „vertitur in canos candenti marmore fluctus“

Senec. Agam.: „dirimuntque canae caerulum spumae mare“

Catull: „totaque remigiis spumis incanuit unda“

„quod vicissim nunc ad pulsum nostris pedibus adluderet fluctus“

cfr. Cat. nupt. Pel.: „ipsius ante pedes fluctus salis alludebat“.

Ovid metamorph. 4, „et in alludentibus undis summa pedum, taloque tenus vestigia tingit“

Minuc.: „Cum in aequoris limine plantas tingeremus“

Ex multis aliis exemplis haec tantum affero:

Minuc. 6, 5 „coelum ipsum, et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus“

cfr. Horaz carm. I, 3.

„coelum ipsum petimus stultitia“

Minuc. 38, 2 „Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum carpamus et rosam veris et lilium et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est“

cfr. Horaz carm. II, 3

„Huc vina et unguenta et nimium breves flores amoenae ferre rosae“.

Carm. I, 36 „neu desint epulis rosae
neu vivax apium, neu breve lilium.“

Minuc. I, 3 „crederes unam mentem in duobus fuisse divisam“

Horaz carm. II, 17 „A te meae si partem animae rapit“

Carm. I, 3 „et serves animae dimidium meae“

Verg. eclog. III. — ut aiunt

corporibus geminis spiritus unus erat.

Minuc. I, 3 „non respuit comitem“

cfr. Hor. carm. I, 35 „nec comitem abnegat“

Ut his, ita omnibus fere locis, Minucius poetice est tinctus atque videtur omnes ex poetarum carminibus flores decerptos summa sollertia in unum quoddam contexuisse corollarium.

Nec non Graecismum, qui vocatur, ratione Poetica artissimo vinculo conexum amplectitur Minucius, cuius formae haec praecipue exstant exempla:

17, 1 „inter praecipua conisus est“ = ἐν τοῖς μάλιστα

17, 2 nec possis pulchre gerere rem civilem = καλῶς

17, 3 sacrilegii enim vel maxime instar est = δίκην

17, 10 alias dentibus saeptas = cfr. ἔρκος ὀδόντων

18, 1 longum est, ire per singula = διεξιέναι καθ' ἕκαστα.

18, 1 „et similes universi videmur et iterum singuli dissimiles invenimur“ = *ἐκαστοι δ' αὖ*

19, 4 „is autem Milesius Thales“ = *ὁ δὲ Μ.*

21, 9 „Juba Mauris volentibus deus est cfr. „*μοὶ βουλευόμενον ἐστίν.*“

25, 7 „detriumphare“ *καταπολεμεῖν*

35, 6 „nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur cfr. *γινόμεθα.*

10, 5 Sciat omnes homines natura insitos esse sapientiam.

Nec non accusativum Graeci sermonis vel maxime proprium usurpat Minucius c. IV, 4 „iam profecto intelliget, facilius esse, in contubernalibus disputare, quam conserere sapientiam“. „conserere sapientiam“ elocutio Graeca est pro „conserere pugnam sapientiae“ = sich auf einen wissenschaftlichen Kampf einlassen. Sic obtinetur sensus: „Er wird sehen, dass es leichter ist, unter Freunden zu raisonniren, als sich auf einen wissenschaftlichen Kampf einzulassen“. Retineo igitur scripturam „ipsius sectae“ nec muto in „nullius sectae“ cum Sittl, qui a vero verborum sensu deerrare mihi videtur interpretans (cfr. Jahresb. 1879 — 1884 S. 15) „Cäcilius kündigt keine philosophische Disputation, sondern eine freundschaftliche Unterhaltung an“. Immo contrarium esse puto: „conserere sapientiam“ ponitur contra disputare, quod in hoc contextu nihil aliud valere potest quam „oberflächlich streiten, raisonniren“ quod cum apparet ex elocutione „in contubernalibus disputare“, tum eo magis probatur, cum paulo inferius contra „disputare“ „intentius disputare“ ponatur. Huc accedit, ut infra cap. 40, 1 Caecilius ipse disputationem ratione pugnae factam esse significet: „vicimus et ita: vel improbe usurpo victoriam. Nam ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris“ Iam vero non tamquam contubernales, sed tamquam adversarii disputant. Itaque Caecilius monet fratrem Marcum: „ita tibi informandus est animus, ut libram teneas aequissimi iudicis nec in alteram partem propensus incumbas“. (ad hoc cfr. c. I, 5 „disputatione gravissima“).

